Digitized by Google

5.5.303

Digitized by Google

PANTHEON AVGVSTINIANVM,

SIVE

ELOGIA VIRORVM ILLVSTRIUM

Ordinis Eremitarum S. P. AVGUSTINI;

ÆRA CHRONOLOGICA, ET CRISI ILLVSTRATA:

Auctore

F. Auguſtino Maria Arpe Genuenſi S. P. Profeſſore Eiuſdem Ordinis Hiſtoriographo.

GENVÆ MDCCIX.

TYPIS IO: BAPTISTÆ FRANCHELLI. IN VICO FILI.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEIPARÆ CONSOLATRICI

Auctoris Votum.

SOlamen Miſeris, Lapſæ Spes Vnica gentis,
Cui ſacra virgineo pectore zona micat.
Accipe, quod gracili ſoluo Tibi carmen auenà,
Accipe Melpomenè dona puſilla meæ.
Dona puſilla quidem, Nati, ſed vilia quamuis
Munera, non poſſunt diſplicuiſſe tibi.
Sufficit hoc. Alios commendet epiſtola, peccat
Infenſam Matrem, qui putat eſſe ſibi.
Tù dabis ingenium, Tù ſi quid poſſe videmur;
Non decris votò Numen adeſſe meo.
Quod ſi diſpliceam, ſunt hæc ſolatia Nati,
Sunt hæc & Matris præmia, ſi placeam.

Eminentiſsimo, ac Reuerendiſs. Principi

IOSEPH RENATO
CARDINALI IMPERIALI

DIACONO S. GEORGII AD VELUM AUREUM AUGUSTINIANI ORD. PROTECTORI.

VOtiuum *hoc Pantheon*, quod Deiparæ primó deuouerim, non eſt quà ſuccenſeas; eſt quà læteris Purpuratorum Eminentiſſime. Tanti erat Tuum poſt Deiparam mihi pręſidium, Tanti eſt noſtrum erga Te Spes. Pecca-

Digitized by Google

ueram niſi primò dicarem Virgini, quod Patrona; errraueram niſi Tibi dedicaſſem, quod Tutelaris. Matris erat opella hæc, quod in ſuo primó Concepta, in ſuo Nata, creuit in ſuo; Tui erat, quod Templi encænia, & dedicatio ſpectarent ad Principem. Matris erat, quod voti materia; Tui erat, quod vectigalis. Iure ergò hæc tua ſunt, nec eminentia terret acceſſu, nam vnde arcet eminentia, humanitas allicit, quia hæc eſt gratior, illa ſi grauior. Lætata ſunt Eremi ſublimia, vbi Te primó Tutelarem ſortita ſunt, noua nunc lętabuntur lætitiæ ſorte; cum poſt humana, quæ temperas, etiam moderari diuina reſcierint. Hæreditaria in noſtros gentis tuę pietas eſt, & Patruo auulſo in Nepote non deficit, creuit. Serò nobis es datus in Præſulem, vt ſciremus vtilitatem calamitatis, nam ſi ante conceſſus eſſes, quantum Tibi deberemus incerta res eſſet. Totus tui eſſe deſieras ex quó noſtrum eſſe cępiſti. Tuis Præſes Emin. Subditorum vigilijs quietem, negocijs otia, libertatem ſeruitio redimis. Vnus omnibus, nullam audis de Te querelam, de ſubditis Tuam. Prouincia nempè cui vigilas, onus

quod

Digitized by Google

quod eleuas, voto cui ſupères, *Exemplum eſt Gregis*, Bonus æquè cuilibet, ac omnibus melior. Videaris licet apud Homines imperare, nō imperas, pares; nihilque magis à Te ſubiecti animo fit, quam cum cogeris imperare. Protegis ergó, non imperas, & tanto fortius, quanto ſuauius. Quæſiuit Te dignitas, non Tù dignitatem, ideòque non authoritas patrocinio, authoritati patrocinium additum eſt. Ex ea genitus ſtirpe, quæ aut magnos gignit, aut facit, nulli imperas, niſi quam Tibi, vt ſciant Poſteri, quem imitentur, Antiqui, quod prædicent. Omnium ſpem ſuperaſti Præſul ampliſſime, cum ad maieſtatis demiſſionem Imperio maior, idem virtute; Vnum Te in Comitijs præſtares è nobis, idem Præſidis munera impleres, ac ſubditi; & quod in Principe rarum eſt, obuium Te cuique redderes, ac ità redderes, quod rogari neque permitteres, ſed illicò oblatum, præeunte beneficentià, ſæpè inueniret quiſque quod peteret; præſtare tibi libentius erat, quam ſubditis petere; O inaudita purpurę humanitas, & tanto humanior, quanto ſublimior! Videant Te, & inuideant ſu-

§ 3 per-

perbiæ Filij; ſtupeant ſubditi, & extollant; mirentur Principes, & imitentur; æquare ſi nequeant. Clauo inſedebas Nauita intrepidus, & ſæui licet fremerent venti, & vndarum volumina inſurgerent, arridebat Eremi malacia, quod pace regeres, quos iure protegeres. Credentne Poſteri, quod factum eſt, quod niſi à te factum eſſet, propè incredibile videretur? Rebus vtinam adæquari poſſet oratio; Laudarem hic inconcuſſum animæ robur, quæ nec metù turbata, nec ſpe; amicos contrà ius, faſque non cuperet, inimicos non formidaret. Laudarem tecum illam innatam ergà egenos beneficentiam; quà timendum ne pauper euaderes, niſi fœnore ditiori, quæcumque erogas, in Te redundarent. Laudarẽ ſarta tecta Reipublicæ iura, aſſertam contrà Oppugnatores Religionem, priſcum reſtitutum Eremo decus, reuocatas poſtliminiò charites, pietatem, iuſtitiam, zelum; niſi hoc tuæ opprobrare modeſtiæ eſſet; cuius eſt agere magna, non legere, non audire, mereri præconia. Quæ cum ità ſint; laudent alij tui Nominis ornamenta, fidem in exteros, amorem in ſubditos,

opes

opes Domi, dominium foris. Excelluerint alij toga, armis alij, conſilio alij. Fuerint alij fortes, prudentes alij, pijſſimi omnes; Tù ipſe fortis, ipſe prudens, ipſe pijſſimus dum quæ ſingula inſunt alijs, leguntur in Te, ac ità leguntur, vt extrà Te nulla admirationi relicta ſit ſeges. Vtinam ego illam aliquandò videam diem, quà *Ioſeph non in Ægypto*, ſed regnantem in Syon aſpiciam, vtinam Romæ Patres *adorent Te Sanctum, & proni ante Te incuruentur manipuli Fratrum*; Sic enim meum, ſic Vrbis, ſic & Orbis implebitur Votum.

Auguſtæ Ligurum dabam ad Mariam Conſolatricem Kalend. Nouembr. 1709.

Eminentiæ Veſtræ

Deditiſſimus ad obſequium

F. Auguſtinus Maria Arpe Auguſtinenſis

Digitized by Google

Digitized by Google

NÆ ego audax ſim, & imprudens, qui cum tutò in Orcheſtrâ latere poſſem, importunus in ſcenam proſilio, & *Doctor Vmbraticus à luce redarguor*? Sed vt ingenuè fatear velim, nolim parendum eſt; Amici vicerunt, dum quod conſcientia non rectè facti conatur abſcondere, Maiorum vel importunitas, vel fauor extorquet. Dolebant flendam ipſi noſtrorum ſortem, *quod nati eſſent, quaſi non eſſent*, & quod poſt Ordinem propagatum, protectum Orbem *illius pauperis inſtar, Nemo eorum recordaretur*. *Eccl.* 9. Dolebant ſanctitatis antiquæ delicias, & priſcas à ſæculo Eremi diuitias; Dolebant ſcriptitari falſa de Ordine, apocripha, ſpuria, cur vera non liceant? *Nonne melior eſt racemus Ephraim vndemijs Abiezer? Nonne Patris digitus mimmus Gigantum humeros mole tranſgreditur?* Nonne mala publicè patent, ſuprema, & optima malignè cur lateant? Accedebat, quod auidi hiſtoriæ, non laboris Adoleſcentes intricatas voluminum ſyluas, & prolixas benignè non legerent, vnde quodam veluti iure Enchyridion hoc poſtularent, in quò vno quaſi oculi ictû Eremi immenſa, & Occeanum penetrarent, *& ſi aliquanto defectû molis, nullo tamen diſpendio veri*. Cum parendum igitur eſſet, *Vigilaui ego nouiſſimus, & quaſi qui poſt vindemias colligit acinos, in benedictione Domini & ipſe ſperaui, & quaſi qui vindemiat repleui torcular*. An bene Tù videris. Inſcripſi Pantheon; *dentatà paginà* res non agetur, ſed ſi laceſſeris Diui ſe protegent. *Eulogium idem Iſidoro, quod teſtimonium, honoris ſemper gratia eſt*, manum poteris improbare, non operis finem. Immiſcui cum Horatio vtile dulci, floribus fructus, cui poeſis grata non eſt, fructus geographicè leget hiſtoriæ. Minus laborandum erat Ingenio, cuius loco materia præerat, ſed vbi tantum dictioni vacandum eſt, *vbi communia propriè, communiter propria ſunt exor-*

nanda

nanda ſatiſfacere eſt difficilius. Stylus, audio, reprehendetur, quod in plurimis ſæpe par, ſibi in pluribus impar exceſſerit: ſed non in omnibus idem eloquentiæ color eſt, non cauſæ, non genius; nec natura reprehenditur rerum, quod roſas generet vbique ſimillimas, diſſimiles violis. Actum agere quiſque me dixerit, crambenque recoquere? *Sed plures, nouoſque fieri libros de eadem etiam re Authore Auguſtino vtile eſt, vt ad alios ſic res ipſa perueniat, ad alios ſic*. Lapides arguent me cumulari per ſententiolas, & ſine cæmento? Sed in Liuio patauinitas, in Seneca leuitas, in Tullio quoque condemnata barbaries eſt. Reprehendent alij, quod plus iuſto laudauerim paucos, omiſerim plures; ſed paucos, & raros debui celebrare, Signare plures. Deinde tempori, loco, dignitati ſtudendum erat, vel quia ſic exigebat opellæ neceſſitas. Dixerint alij, quod breuis ſim? Sed mihi longitudo breuitas eſt, dum ex Auguſt. *quò minus loquor, intelligam plus, nihilque eodem Authore ad ſciendum, intelligendum, ac differendum, quam breuitas proſit*. Dixerint alij, quod nimis longus? Sed non eſt breue, cui detrahi, neque longum, cui addi nil poteſt. Obſcura aliqua dicentur Elogia? ſed hoc laconiſmi vitium eſt. Dicentur aliqua nimis clara? ſed nihil magis orationem, quam claritas laudat. Nonnullis deerit puritas linguæ, alijs numerus, rotunditas alijs? ab omni erat, vt ità dicam vilitate verborum cauendum, pedes, & iuncturæ connecti debuerant, *ſed verum potius amaui, quam verba, & ne grauibus aliquandò, ſacriſque ſententijs detraherem pondus, non addidi numerum*. Ex Auguſt. 4. de Doctrina Chriſt. cap. 20. Græca paſſim, & obſoleta vſurpaſſe me reprehenderint? ſed græca teſte Quintiliano latinis præſunt, & vbi hæc deſunt, illis vti eſt neceſſarium. Damnauerint alij, quod ornamentis aliqua careant? *Sed ſublime dicendi genus ornamenta non quærit, admittit, fertur quippe impetù ſuo, & elocutionis pulchritudinem, ſi occurrerit, vi rerum capit, non cura decoris, aſſumit*. Ex Auguſt.

Digitized by Google

Auguſt. ibi. Rapſodiæ, & plagij quis accuſauerit? damnari me patiar, & prouocabo: ideò enim Scripturæ loca Auguſt. Hierony. Ambr. *Charactere Gotico* expreſſi, vt piaculum furti detegerem. Criticam arguent? defendet ſe illa melius, imò & iuſtius accuſabit, quod falſas ſæpè calumnias: Et vero, quod ſciam, Æmulorum commenta retorſerit. Plus eloquentiæ voluiſſent, doctrinæ minus? Ipſe è contrà doctrinæ plus, minus habuiſſem ineptiarum. Eloquentia enim vt ait Cicero *ſine Sapientià nunquam profuit: Sapientia ſine eloquentia ſæpè profuit, eloquentia, & Sapientia profuit ſemper*. Submiſſa grandius, ſubmiſsè grandia ſtruxiſſe me dixerint? Imò Tulliani memor effati *Submiſsè parua, vt docerem; modica temperatè, vt delectarem; magna, vt flecterem granditer dixi*. Hoc ergo modo quæcumque accuſarent ſoluere poſſem, ſed tù doctius bone Lector defenderis hæc; emendabis, detrahes, addes, & qui cauſæ meritum ſcis, vel ex fine, ſi bona laudaueris; vel ex officio excuſaueris, ſi non bona.

Facultas Reuerendiſſimi P. Generalis.

FR. Adeodatus Nuzzi ab Altamurà S. Theologiæ Magiſter totius Or. Er. S. Auguſtini Prior Generalis. Opus, cui titulus, *Elogia Uirorum Illuſtrium Ord. Er. S. P. Auguſtini &c.* A Reu. P. Magiſtro Fr. Auguſtino Maria Arpe Genuenſi noſtri eiuſd. Ordinis Hiſtoriographo elucubratum, & à duobus noſtris Theologis ad hoc à nobis deputatis reuiſum, & approbatum; vt in lucem edi poſſit, de licentià tamen eorum, ad quos ſpectat, harum vi literarum facultatem concedimus, & impertimur. Datum Romæ die 26. Maij 1708.

Fr. Adeodatus Nuzzi Generalis.

Cenſura.

Cenſura.

A Bſolutiſſimum Opus, à Reu. Admodum P. Magiſtro Fr. Auguſtino Maria Arpe Genuenſi Ord. Eremitarum S. Auguſtini, eiuſdemque Ordinis Hiſtoriographo, Viro quidem ſuſpiciendo, elegantiſſimè elaboratum; Cui titulus, *Pantheon Auguſtinianum &c.* De mandato Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Fr. Thomæ Vincentij Bernardi, in toto Sereniſſimæ Reipublicæ dominio Inquiſitoris Generalis; accuratè perlegi; nec quidquam in eo, quod Catholicis Sanctionibus, probiſque moribus aduerſetur, offendi; ſed omnia Diuinæ Scripturæ, ſanctiſque Patribus tam benè conſona, ſelectâ eruditione, doctiſque ſalibus, adeò condita, ſum admiratus, vt fateri cogar, (quemadmodum fateor) quæcumque hoc in volumine, Heroum Nomini fulgent præconia, poſſe in Ipſiuſmet Authoris Elogium, iure meritò retorqueri. Quamobrem tam præclarum opus, cedro, & prælo digniſſimum Cenſeo. Ex Collegio S. Spiritus Genuæ 23. Iulij 1708.

D. Paris Maria Foſſa Congregat. Somaſchæ pro S. Inquiſitione librorum Cenſor, & Conſultor.

Approbatio Theologorum Ordinis.

PAntheon hoc eruditum, ac elegans eſt. Videtur enim illius Scribæ, qui profert de theſauro ſuo vetera, ac noua. Quapropter cenſeo illud boni, ac decoris Ordinis cauſa, imprimi poſſe. Datum Genuæ ex Æde S. Mariæ Conſolationis 25. Aprilis 1708.

Fr. Ioannes Nicolaus Lauezzoli Auguſtinenſis S. Theologiæ Magiſter.

Im-

IMperfectum erit hoc opus, niſi etiam ſui coronetur Authoris Elogio, ideò cum laude exire poſſe iudico in lucem. Datum Genuæ ad S. Auguſtinum 10 Aprilis 1708.

Fr. Fridericus Proſper S. Theologiæ Magiſter, & Regens Auguſtinianus.

Proteſtatio Auctoris.

SCripſi, quæ alibi excuſſa, non quæ Romæ diſcuſſa ſunt, atque adeò fidem aliam non expecto, niſi quam do. Ex Decretis Vrbani VIII. 1625. 13. Martij, & 1631. 5. Junij.

IMprimatur Fr. Thomas Vincentius Bernardi Inquiſitor Generalis Genuæ.

1708. 28. *Auguſti.*

IMprimatur ex Auctoritate Excell., & Illuſtriſs. Magiſtratus Inquiſitorum Status.

Lucas Caſanoua Cancell.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

E L O G I
VIRORUM ILL[illegible]RIUM
ORDINIS E[illegible]IRUM
S. P. AUGUSTINI.
E L O G I U M I
S. PATRIS AURELII AUGUSTINI.
L E M M A.

Auguſtinus ſcientias omnes per ſe diſcit, Man[illegible] hereſi inficitur, baptizatur, Monaſticam induit, Hereticos vincit. Ex Poſſidio. Genebrardo, Baronio ad annum 430.

1 A*Vrelius* Auguſtinus
Primus in Africa,
Nouiſſimus in Orbe Salomo.
Scientias omnes aut innatas
2 *Aut infuſas* à Cęlo habuit;
Qui enim omnium breui debuit eſſe M[illegible]
Nullius debuit eſſe Diſcipulu[illegible]
Carthagine, Romæ, Mediolani reth[illegible]

A

Digitized by Google

2

In Veneris, & Manetis inſanias incidit,
Illas vt vinceret, has vt extingueret.
Matris oculis meliori redditus vitæ
Tagaſte repetijt,
V   ot Numidia feras
Tot E   nus produceret Angelos.
I   do tio initiatus
Hęreſi, errori, pe   uaque bellum indixit,
Vt quantum Orbis Chriſtianus Hoſtium habuit,
Tantum vnus triumphorum haberet Aurelius.
Monſtrum alijs, & Monſtrum ſibi,
3 *Nemo legit, quod ille non ſcripſerit.*
Nemo ſcripſit, quod ille non legerit
Ea in libris tantum quæ ſcierat legit,
Cum ſciret omnia antequam legeret.
Æſtu Charitatis illuminans Africam,
Ardore conſumens,
Poſt peccatum errare deſijt,
Poſt errores peccare neſciuit.
Eò pręiuit *Aquila grandis*,
Quò nemo venit;
Eò venit, quo Nemo præiuit.
Omnium paratus eſſe Diſcipulus,
Cum Magiſter eſſe deberet;
m omnium Antiquorum ſolus exhauſit,
Solus à Poſteris hauriri non potuit.
eſ ntes Æquè ac futuras hæreſes vincens,

Errores

Errores profligauit, antequam noſſet,
Monſtra occidit, antequam eſſent.
Inuictus omnibus, victus à nullo,
Fidem libris illuſtrauit, verbo defendit,
Et quam gloriosè defenderit, conijce,
4 *Nullus poſt Auguſtinum Eccleſiæ* hoſtis,
Nullus Hæreticorum ſuperfuit pugnæ.
Multa Auguſtinus Romæ debet, quod ità crediderit,
Multa Auguſtino Roma debet, quod ità viderit;
5 *Cum viſiones Auguſtini* Romæ ſint regulæ.
In via vidit, quod Paulus in Patria,
Audijt Paulus arcana, quæ tacuit;
Quæ Paulus tacuit, hæc ſcripſit Aurelius.
Pauli ſine lingua perierat fides,
Sine calamo Auguſtini ſurrexerat hæreſis.
Nemo illo doctior, Nemo quoque demiſſior fuit.
Se ipſo maior, & minor ſe
Sui Eclypſes ingenij produxit in lucem.
Nunquam doctior, quam cum errores,
Numquam Sanctior,
Quam cum culpas *oſtenderet ſuas.*
Perge lector,
Et noua ex Africa monſtra ne ſperes;
Tota exhauſta Natura eſt,
Ex quo Auguſtinum produxit in lucem.

1 PRimum Aurelius *Auguſtinus vocatur à Proſpero propter auream vim eloquentiæ, non quia ab Aurelio Carthaginenſi ſit ordinatus. Cum à Hieronymo Paulino; & alijs nunquam Aurelius nominetur, ſed Auguſtinus.*

2 *Scientias omnes per ſe didicit. Ex libro 4. Confeſſ. c. 16. Scripſit enim libros mille triginta; qui omnes legi vix poſſunt, cum ille ſcripſerit. Ex Sabellico 7. Æneadum lib. 9.*

3 *Supra centum Hęreticorum Sectas euertit, quarum nonaginta ſolo nomine nunc ſuperſunt. Sabellicus vbi ſupra.*

4 *Laudatur Amicus Theologus, qui Auguſtinum appellauit Romæ Diſcipulum, cum Roma paſſim appellet Auguſtinum Magiſtrum Eccleſię.*

5 *Viſiones Auguſtini Romæ ſunt regulę, quia multa Auguſtino ex Poſſidio cap. 3. ſunt reuelata, & quia integri Canones ex verbis Auguſtini conflati ſunt.*

AVGVSTINI CHRONOLOGIA.

AVguſtinus Tagaſte naſcitur 13. *Nouembris anno Christi.* 354.
Carthagine ſtudet. 371.
Jncidit in Manichæos. 373.
Libros Ariſtotelis per ſe diſcit. 374.
Romæ docet. 384.

Deinde

Digitized by Google

Deinde Mediolani. 385.
Baptizatur ibidem. 387.
In Africam rediens ſepelit Oſtiæ S. Matrem. 388.
Vitam in Africa Monaſticam agit. 389.
Presbyter ordinatur. 3[illegible]
Conſecratur Epiſcopus. 395.
Moritur annorum 76. 28. Auguſti. 430.
Corpus eius transfertur Calarim à S. Fulgentio 504.
Deinde Ticinum per Luitprandum. 725.
Canutus Anglorum Rex centum talentis Argenti, & talento Auri brachium eiuſdem emit à Ticinenſibus, & Conuentriam mittit. 1077.

Ipſius Sacræ Reliquiæ inter Aram maiorem S. Petri in Cęlo Aureo Papienſis, & Confeſſionale reperiuntur, ſed aut incuria, aut malitia ſatagente, non agnoſcuntur. 1695. kal. Octobr. Ex quibus haud dubiè corrigendus eſt Franciſcus Macedo reditum eius in Africam vltra plus differens, & Bellarminus, qui ex Proſperi Chronico corrupto, aut male intellecto in annum 433. biennio poſt Concilium Epheſinum obitum eius extendunt. Vide Eminentiſſimum de Noris in ſomnijs contrà Macedo, & Philippum Labbe de ſcript. Eccl.

PROGRAMMA.

D. Auguſtinns Hipponenſis Epiſcopus Sancta Eccleſiae Doctor. 2636.

ANAGRAMMA.

Arcus meus in manù bit, & gloria mea ſemper innouabitur. Iob. 29. 2636.

INGENIVM AVGVSTINI, ET SAPIENTIA.

EPIGRAMMA.

ILle ego ſum paruæ decus immortale Tagaſte,
Cui nemo æqualis, nemo ſecundus erit.
Artem alij diſcant, diſcunt, me Auctore, ſciendi
Arte, & nullo cuncta docente ſcio.
Nullum me maius Tellus dedit Africa monſtrum,
Nulli plus licuit ſcribere, nec melius.
Vindice Tartareos fregit me Eccleſia vectes,
Et ruit ad noſtros hæreſis vſta libros.
Vindice Donati me, & Fauſti attrita Chimæra eſt.
Extinxitque ſuas Hydra britanna faces.
Me Populo mores, Clero lex, regula Eremo
Reddita ſunt, Scholę lumina, Templa Deo.
Denique quid memoro? magni mihi carminis inſtar,
Sola Auguſtini eſt nominis vmbra ſatis.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM II

S. MATRIS MONICÆ.

LEM

*Monica Patritio præferoci Homini nu , pacem fo-
uet, Templa inuiſit, vigilias agit, Auguſtinum
regenerat Chriſto. Ex libris Confeſſ. S. P.
Auguſtini. Maphæo Veggio, Riuio,
Moreaù, Sabellico, Herrera
ad annum 389.*

MVlierem fortem
Inuentam nullibi, vbique quæſitam
Inueniſti Viator in Africa, vltrà ne properes.
Monica Mulierum Phænix
De Viris *Unica* triumphauit,
Heroas vicit.
Chriſto viuens antequam ſibi,
Non à Parentibus Deo,
A Deo ſubdita Parentibus fuit.
Viro nupta quaſi non nupta
Vt viro placuit, ſeruiuit vt Domino.
Animi ornamenta, non corporis appetens
Suas, Sapientiam Chriſti, diuitias,
Honeſtatem delicias credidit.
Sterilem ſe arbitrata,

Niſi

Niſi omnes in Chriſto conciperet
Pacem Socrui, fidem Filijs,
Sanctitatem Marito parturijt.
Odor Chriſti in omni loco,
Domi iu odia interemit,
bique diſſidia.
Facunda æqualiter, ſiue audiret, ſeù loqueretur;
Iras obſequio, manſuetudine vicit opprobria.
Prolem maiori gemitù ſpiritu, quā carne regenerans
Eam toties puerperio lacrymarum, genuit Chriſto
A Chriſto quoties errare timuerat
Exemplis æmulata, quæ verbo didicerat
Pacem Vrbi,
Vigilias Templo, pietatem reſtituit aris.
Ambroſio amabilis, quod Deo ſimilis,
In ſe Deum, Angelū in Ambroſio audire ſe credidit.
Nemo illi inuidit etiam Æmula,
Omnis honorauit etiam hoſtis;
Legum memor, immemor Patriæ
Credidit, non diſcuſſit Ambroſij dicta,
Diſcuſſit aliorum præſcripta, non credidit.
Mutuam fęnerata Parentibus vicem
Amorem Filijs non optauit, niſi virtutis,
Odium non pręcepit, niſi peccati.
Nemo illam coluit, quin plus amaret.
Nemo amauit, quin in ea plus coleret Deum.
Suo Cicada nocturno cantù

Sopitos

Sopitos excitans, ſolertes exercens,
Neſcis an omnium Mater,
An Ancilla vocari debuerit.
Digna laudari, quę ſatis ab Auguſtino laudari
Non potuit,
Mirari digna, quam ſatis admirari
Nequiuit Ambroſius.
Reddant alij plura Parentibus;
Nemo Auguſtino plus Monica dedit,
Nemo Auguſtino plus Monicæ reddidit.
Nemo doctius illa riſit,
Nemo eloquentius illa plorauit.
Omnes vnus Auguſtinus hęreſes vicit,
Vna omnes in Auguſtino ſuperauit Hęreticos Monica.
Omnes ergo Auguſtinus erudijt Doctos,
2 *Ab vna tantum Auguſtinus edoctus eſt Fæmina.*
Diſce lector.
Doctos adhuc numeraret Eccleſia *Patres*,
Doctæ ſi Filios *Auguſtinos imbuerent Matres*.

1 *MOnaci nocturno tempore Deo pſallentes ità à Hieron. dicti ſunt.*

2 *Auguſtinus enim de Ordine c. 11. Monicam vocat Magiſtram, & Matrem, & illius ſententiam laudat.*

CHRONOLOGIA.

MOnica Tagaſte naſcitur.	332.
Patritio nubit.	350.
Auguſtinum in lucem edit.	354.

 Eumdem

Eumdem ſequitur Mediolanum. 384.
Illius baptiſmo intereſt. 387.
Vitæ obit annorum 56. 389.
Corpus eius Romam transfertur. 1430.
9. *Aprilis ex Baronio; quicquid Apocriphorum è ſomnijs Bollandus obijciat. Vide Sabbatinum in vindicijs Auguſtin.*

PROGRAMMA.

Beata Monica Sancti Auguſtini pia Mater. 1427.

ANAGRAMMA.

Mulierem fortem quis inueniet? 1427.

EPIGRAMMA.

CVr Auguſtinum præſens non afferat Æuum?
Heù cauſa eſt, Monica tempora noſtra carent.
Sint Mecænates; non deerunt, crede, Marones,
Sint Monicæ, Aurelius non erit, Argus erit.

Aliud.

ÆNea ſe qualis protendit in aera Turris,
Irato aut fulget roſcida ſtella Mari.
Aut Moſeni qualis duxit per inane Columna,
Igneus arderet cum ſine nube Thronus,
Aurelij talis radiat ſuper æthera Mater,
Chriſtiadum Turris; Stella; Columna, Thronus.

ELO-

ELOGIUM III

S. DEMETRIADIS

LEMMA.

Demetrias Olibrij Conſulis Filia, de quo Claudianus Panegyri 5. Monaſticam induit, dotem Pauperibus erogat, inter pompas aſperrimè viuit. Ex Baronio, Spondano, Riuio in vita Auguſtini libro 3. c. 16. Herrera, Elſſio, & alijs ad annum 413.

Demetrias
Pietate, quam genere clarior,
Orbi nunquam claruiſſet, ſi claruiſſet.
Familiæ faſtum magnitudine fidei calcans,
Modeſtia celans;
Anicios purpurâ claros,
Sanctitate clariſſimos fecit.
Uni deuouere ſe Viro ſollicita
Torum abiecit,
Nunquam liberior, quam cum ſine liberis.
In Aulæ floribus, ſpinis aſſueta;
Hàs ità tolerauit, vt adamaret.
Illos ità, vt abhorreret.
De ſuo nihil habitura, poſſidens omnia,
Totum in pauperes diſſipauit,

 Amiſit

Amiſit nihil.
Pauli animo abundare, & mori ſciens
In copia pati, in inopia didicit frui.
Omnium ſerua, quod ſui Domina,
In primis infima,
Pęne inter infimas ſedit æqualis.
Nemo mitius obediuit, ac illa iuſſit,
Seuerius nemo iuſſit, ac illa obediuit.
Mater Pauperum dici malens, quam Conſulũ Filia,
Amore inopes nutriuit, vt Mater,
Obſequio miſeris ſeruiuit; vt Filia.
Nuſquam pęnitentia glorioſior,
Nullibi humilitas inceſſit elatior.
Crucẽ vbique, ambitione conſumpta, circumferens
Stipendium Cruci,
Dignitati diſpendium fecit.
Aurum velut lutum abominata
Ornari luctù, deformari ſe credidit luxù.
Clemens alijs, ſibi crudelis;
Preſſuris ingemuit aliorum, non gemuit ſuis.
Pacem nutriens vbi erat,
Et regenerans vbi non erat,
Obſequijs odia, lenitate retorſit iniurias.
Somni parca citra miraculũ, alimenti ſupra naturã,
Credideras Seraphim;
Niſi quod Seraphim mente ſuperaret,
In corpore arderet.

Sponſi

Digitized by Google

Sponſi tandem, quò ſeruebat, æſtù decumbens,
Abundantia charitatis non extincta,
Sed rapta eſt, anno 000.

CHRONOLOGIA

DEmetrias ante vrbis, per Alaricum Euerſionem, ſugit in Africam. 410.
Hortatù Auguſtini Monaſticam induit. 413.
Ab eodem per epiſtolas Pelagiana ſeruatur ab hæreſi. Ex Baronio, Spondano, & alijs.

UIrgines, quæ ſibi optant Aniciorum claritatem, eligãt ſanctitatẽ, illud enim quantalibet cupiditate, quando aſſequentur? hoc autem, ſi plenè cupierint, mox habebunt. Auguſt. epiſt. 179. *ad Iulianam Matrem Demetriadis.*

ROma mihi tribuit cunas, Carthago ſepulcrum,
Non poteram naſci, nobiliuſue mori.

ELOGIUM IV

S. ALIPII EPISCOPI TAGASTENSIS.

LEMMA.

Alipius Auguſtini Comes, & Æmulus Africam à Pelagij, & Donati hæreſi vindicat. Ex Baronio, Noriſio, Staibano, Torellio ad annum 429.

ALium Tibi, & eumdem Auguſtinum
Uiator

Viator obijcio ,

Qui eodem cum Auguſtino ſpiritu incedens
Solus [ſi Auguſtinum excipias]
Eliminandæ hæreſi æqualis ,
Solus fidei ſeruandæ par fuit .
Audi Gloriam .
Cymbæ Apoſtolicæ Sydus , & anchora
Illam vbique victricem ,
Non inter Africæ ſyrtes ,
Sed infames Pelagij ſcopulos ,
Inuictè direxit.
Audi ſcientiam ,
Quantum calamo Auguſtinus ,
Verbo tantum profecit Alipius .
Audi zelum ,
Numidiæ Primas bellum hæreſi iugulandæ
Carthagine indicit ,
Et more fulminis,
Solo Peccatores aſpectù terrens ,
Ante vicit , videre quam poſſet .
Audi conſtantiam .
Homo Afer Romanorũ Tyrannorũ ſuperbiã calcat,
Et ſolus neque precibus flexus , aut minis
Orbis Principes , neque dilexit Amicos ,
Neque timuit inimicos ;
Audi denique fortitudinem ,
Ter oblitus periculi, & ſui ;

Digitized by Google

Contrà Pelagianos Italiam luſtrat,
Semel Aſiam, Africam ſemper,
Et ſuo vndequaque triumpho reuehitur.
Aptate, vt lubet, vulpeculæ fraudum retiola,
Dolos omnes oculatus præoccupat Sampſon,
Et occupat dico,
Quia reſpirare non patitur vinctas.
Debet Alipio Africa, quod Roma pugnauerit,
Debet Alipio Roma, quod Africa vicerit,
Cum Mileui, Cartagine, Romę, Rauennæ,
Alipij ſtudio, Impiorum reſciſſa ſint retia.
Ità vbique Auguſtini Defenſor, ac æmulus
Illum vbique vel defendit, vel illuſtrauit,
Cum nullum Auguſtinus habuerit hoſtem;
De quo non retulerit palmam Alipius,
Siſte lector,
Et Alipio triumphanti hoc patientiæ,
Et victorię cane celeuſma.

Alipium, toto pectore amplecteris, & meritò, nam quiſquis de Uiro illo benignè cogitat, de magna Dei miſericordia; & de mirabilibus Dei muneribus cogitat. Auguſtinus ad Paulinum epiſt. 32.

CHRO-

CHRONOLOGIA.

ALipius Tagaſte in Africa naſcitur anno 000.
Mediolani baptizatur cum Auguſtino. 387.
Primus Auguſtini Monaſticam induit. 389.
Iuſsù Auguſt. Bethlem petit vt Hieronymum ipſi conciliet. 393.
Creatur Epiſcopus. 394.
Vna cum Auguſtino contrà Donatiſtas publicè diſputat. 411.
Carthaginenſi Concilio intereſt. 416.
Italiam nauigat contrà Pelagium. 419.
Sanctè obit. 420.

TRIVMPHUS ALIPIJ.

VIcit Io: Anglorum vicit, Pater inclytus Hydram,
Monſtraque extinxit Africę.
Alipius Diuùm, quò non illuſtrior alter
Auguſto illuxit Ordini.
Quò Duce Pęnorum Sedes, quo Templa ſteterunt,
Secura & Petri limina.
Quò Duce victrices præcinxit gratia laurus,
Et aſtra ęquauit gloria.

ELO-

ELOGIUM V

S. POSSIDII EPISCOPI CALAMENSIS.

LEMMA.

Poſſidius cum Auguſtino annos ferè quadraginta continuò viuit, Monaſticam in Epiſcopatù propagat, dura patitur ab Hæreticis, Donatiſtas publicè ſuperat. Ex Riuio libro 1. *c.* 2. *S.* 3. *Tritemio, Poſſeuino, Sabellico, Alouiſiano, Elſſio ad annum* 430.

VMbram Poſſidij
Ex Sole Auguſtini metire Viator,
Nemo Auguſtinum Poſſidio propius
Nemo longius eſt aſſequtus.
Natale illius ſolum ne quęras,
Numidia fuit;
Quę vbique Monſtrorum ferax
Noua ſemper vel nutriuit, vel peperit Monſtra.
Ex Eremo Calamenſem vocatus ad infulam,
Infulę faſtum temperauit Eremi modeſtia,
Nouoque infulę honore Aulam in Syluis,
& in aula recondidit Syluas.

Paſtor bonus, quod gregem diligeret,
Vexatus à lupis,
Luporum rabiem vindicauit humanitate,
Et ſuum verbera, cędes,
ignominias reputans lucrum,
Nunquàm fortior viſus eſt,
Quam cum omni careret auxilio.
Publicum Africà totà
Quà plaudente, quà timente, certamen aggreſſus;
Hęreticos ſemel vidit, bis expugnauit;
Nam quos ſemel iuſtitia vicerat,
Iterum beneficijs vltus iniurias,
Expugnauit beneficentia.
Obſtruat Circumcellio anguſta viarum,
Et victoriam ferro contendat;
Hilaris inter debacchantium tela Poſſidius
Flagella contemnit,
Et ſua, patientiæ ſtratagemmate,
Tormenta nobilitans,
Trophęa ingerit; dum congerit probra.
Ubique verè Poſſidius,
Si potens opere, potens Sermone,
Potens quoque Poſterorum vixiſſet in animis.

CHRONOLOGIA

POſſidius in Africa naſcitur anno 000.
Monaſticam induit. 391.
Creatur Epiſcopus. 396.
Contra Hæreticos publicè diſputat, & Carthaginenſi Concilio intereſt. 411.
Contrà Pelagianos Rauennam nauigat, vitam primus Auguſtini, & librorum eius Indiculum ſcribit. Obit in Apulia Maij 17. 430.
Corpus eius transfertur Rhegium, deinde Mirandulam. 816.

POſſidi es Patri, Matrique ſimillima proles,
Non dedit hæc ſimilem, non dedit ille parem.

ELOGIVM VI

S. MELANIÆ IVNIORIS.

LEMMA.

Melania ſiue Albina cælibatum cum ſponſo vouet, Urbe capta Africam petit, Monaſticam induit, Cænobia erigit, Hæreticos vincit. Ex Baronio ad annum 409. Grauina in voce Turturis, Petro Caluo, & alijs.

MElania, maligno errore fortunæ,

Digitized by Google

Muliebre ſortita corpuſculum,
Virorum conſtantiam
Sexù æquauit, Virtutibus vicit.
Splendorem ſanguinis,
Meritorum luce tranſcendens,
Familię faſtis, virtutum lumen
De ſuo addidit.
Viro alligata, non illigata.
Sponſum Chriſto, ſibi non iunxit,
Et carne ambulans, in carne non militans
Tori delicta ignorauit, non dereliquit.
Urbe capta Nobilis Exul,
Europam, Africam, Aſiam ditauit exilio,
Ut quos Ataui bellis attriuerant,
Eleemoſinis ipſa redimeret.
Romanus animus iniurias malens pati, quam agere,
Probos indole, patientia improbos vicit.
Quęrant alij, non quos regant,
Sed quibus imperent,
Melania ſubditarum affectù genitrix,
Obſequio filia
Singulas ità honorauit, ac ſi à quàuis genita eſſet,
Ità amauit, ac ſi genuiſſet.
Nihil ex aulà ſuperbię,
Nihil ex Eremo deſidię contrahens;
Modeſtià ſe Spartanam contrà Romanos;
Romanam ſe fide contrà Barbaros eſſe monſtrauit.

In

In diuina, quod humana neſciret, rapta,
Seceſſit in Sylùas,
Inter Antra expiatura,
Si quid feritatis in Aula contraxerat:
Circis olim metamorphòſes admirata ſit ſuperſtitio,
Melania homines, non Circæo poculo, in feras,
Feras verbo obſtetricante conuertit in homines.
Pænitentia feras erudiens, prouocans Angelos,
Doctrina hæreſes confutauit, moribus vicit.
Alieni cupida lucri, prodiga ſui,
Nouæ Patruum moriturum reddidit vitæ,
Deo agente, vt quem claua ſuperare
Non poterat Gigas,
Cœlo tantum confoderet fœmina:
Viraginum Phænix
Glorioſa, quod viros dimitteret,
Glorioſior, quod erudiret.

CHRONOLOGIA.

Melania, ante Urbis obſidionem per Alaricum, Africam nauigat. 408.

Tagaſte, Alipio ſatagente, duo erigit Monaſteria, Ubi Auguſtini Monaſticam induit. 409.

Ieruſalem migrat, & propè Oliuetum annis quatuordecim diù ſe cruciat.

Patruum Voluſianum Præfectum Bizantinum

Chri-

Chriſto lucratur, quod non potuerat Auguſtinus ex Epiſt. 1. & 2. 434.
Hęreticos vicit, & miraculis clara decedit. 31. *Deceb.* 438.
Ex Spondano, Herrera, Elſſio, & alijs.

Melania Patruum Chriſto regenerat.

Pallada telorum nymbos, & ſpicula dextrà
Geſtaſſe, Argiuùm fabula ſolà fuit.
Nunc latio Pallas ſurrexit fortior. Ergò
Torqueat hæc clauam, torqueat illa colum.

ELOGIUM VII

S. HONORATI EPISCOPI ARELATENSIS.

LEMMA.

Honoratus Lerinenſe Cænobium extruit, Regulam Auguſtini diffundit in Gallias, Arelatenſibus datur in Præſulem ex Cruſenio p. 3. c. 12. Herrera, Ludouico de Angelis, Elſſio ad annum 445.

Honoratus æquè Familiæ faſcibus,
Ac virtutum faſtigio clarus,
Ità honorem quæſiuit ex moribus,
Ac ſi ex ſanguine non habuiſſet.

Nihil

Nihil ex laude philautiæ,
Nihil ex honore ſuperbiæ contrahens,
Gloriam ſui contemptum reputauit,
Imperium crucem.
Omnium ſeruus, vt liberos faceret;
Seruitio pretium, libertati ſtipendium fecit.
Seniores merito excedens, exemplo præcedens,
Omnes amauit vt filios,
Honoratus vt Pater à ſingulis.
Lateat aliorum fama, dum prodit,
Prodijt Honorati, dum latitat fama.
Inuidens nemini, nemini inuiſus,
Numen, exemplo non viſo, honorauit,
Hominibus placuit.
Viduis ęquè ſe Iudicem,
Ac pupillis exhibens Patrem;
Nouum Lerinæ ſplendorem,
Vetus Arelate reſtituit decus.
Tempeſtate nulla deiectus,
Tranquillo nullo ſuperbiens,
Fortunæ aleam amicam non fouit,
Inimicam non formidauit.
Senes optimè mori docens,
Viuere benè Tyrunculos,
Cum ſibi omnes ſimiles faceret
Nulli ſe vnquam diſſimilem finxit;
Dignus infulas honorare, qui ornauerat inſulas,

Cælum

Digitized by Google

Cælum dignus ſuſtinere, qui euexerat terras.
Honore denique maior
Cum vltrà meritis non poſſet addere,
Nollet detrahere,
Omnium Honoratus exceſſit ex oculis,
Non ceſſit ex animis anno 445.

CHRONOLOGIA.

HOnoratus Inſularum, *deinde* Eccleſiarum Magiſter, *vt ait Eucherius, Arelate ex familia proconſulari in Gallia naſcitur, ſed quò anno incertum eſt.*

Primus Lerinenſe Cœnobium *erigit. Ad inſulam promouetur Arelatenſem* 426.

Clarus miraculis, & Sanctitate migrauit. 16. *Ianuar.* 445.

Monaſterium porrò Lerinæ fuiſſe noſtrum latè probant Herrera, Cruſenius, & Marquez cap. 15. *tum quia ſola tunc in Eccleſia latina erat regula Auguſtiniana; tum quia Monaci Iurenſes, qui regulam mutuarunt à Lerinenſibus, erant inſtituti Auguſtin. vt fusè oſtendit Noriſius in Hiſt. Pelagiana lib.* 2. *c.* 3. *tam quia Honoratus antes regulam Benedicti Lerinam coluit, vt ſcribit Yepes Benedictinus libro* 4. *c.* 18. *ideòque ſcitè Baronius Tritemium arguit, quod S. Cæſarium, alioſque antiquos Lerinenſis Inſulæ Alumnos, Benedicti cuculla induerit, indu-*

induerit, cum niſi ſerò per Maurum regula S. Benedicti ad Gallos venerit. Vide Cruſenium p. 1. c. 12.

CLaudit Honorati Cineres hæc Urna Viator,
Non potui melius dicere, nec breuius.

ELOGIUM VIII

S. HILARIJ EPISCOPI ARELATENSIS

LEMMA.

Hilarius ſub Honorato monaſticam induit, creatur Epiſcopus, Lites dirimit, hæreſes vincit, pauperes fouet. Ex Riuio libro 1. c. 4. §. 5. Critana, Cruſenio, Sabellico, Baronio ad annum 449.

Hilarius
Lerinenſis hilaritas Cæli,
Doctrinis Inſulas, Sanctitate ditauit Eccleſias,
Honorati Magiſtri diſcipulus,
Neſcis an Magiſtro tanto Diſcipulus,
An tanto Magiſter Honoratus Diſcipulo fuerit.
Opes prodigens, ut opes acquireret,
Suum ſapientiam Chriſti theſaurum,
Paupertatem diuitias credidit.
Eremi ſublimia Sanctitate fidei *calcans*,
Ardore tranſiliens,

D Leri-

Lerinam Cæli coloniam,
Cælum Arelate coloniam fecit.
Suis Columbæ indicio oſtenſus in Præſulem,
Columbæ ſinè felle ſimplicitatem,
Serpentis ſinè dolo prudentiam retulit.
Laudes omnium aucupatus
Nullius inuidiam,
Amore ciuium odia,
Patientià exterorum laſſauit inſidias.
Ut gregi totus excubaret, ereptus ſibi,
Suà aliorum vigilià ſomnos,
Honores curà,
Libertatem ſeruitio emit.
Præſulis copiam, ſubditorum inopiam ratus,
Nullius vectigales miſerias voluit,
Omnium ſe Vectigalem miſerijs vovit.
In Chriſto pauperes veſtire ſe ſciens,
Aras ornare ſe credidit,
aræ ſi ornamentis indueret nudos.
Dominentur in grege alij, & faſtù ſuperbiant,
Hilarij faſtus, egènorum fieri ſeruum,
Dominium, vitiorum non eſſe mancipium.
Verbi non auditor, operis factor
Mores ad gratiam, non verba compoſuit,
Et totus oculis, non auribus dicens,
Tacendo, non dicendo diſertior fuit.
Amænitatē ſplendorū grauitate modeſtię tēperans,

Mites

Mites modeſtià rapuit,
Contumaces imperio terruit.
In conſilijs omnium oculus, manus in opere,
Hæreſi clauus in fronte,
Perfidiæ in lateribus lancea fuit.
Probis lenis, terribilis improbis,
Principum odia extinxit, vt libuit;
Accendit vt licuit.
Protheus animorum conuerſus in ſingulos,
Ut conuerteret omnes in Deum,
Nouà ſe ciuibus amoris alchimià,
Ciues ſibi ſimillimos fecit.
Ità proximè Cælo dignus,
Cum illo digna terra non eſſet,
Lerinam non iterum, ſed Cælum aſcendit
Anno 449. 5. Maij.
* *Auguſtino doctrina ſuperior,*
Niſi ętate *Auguſtino fuiſſet inferior.*

***Ex Linio Poeta illius temporis non obſcuro.**

CHRONOLOGIA.

Hilarius igneus fidei torrens in Gallia naſcitur anno.	403.
Lerinæ à S. Honorato tondetur in Monachum.	429.
Columbæ indicio creatur Epiſcopus.	430.
Arauſicano Concilio intereſt.	441

Vaſa Templi diſpergit in pauperes, & eis ſuccurrendis agricolam agit, plus æquo ſui Epiſcopatus iura defendens à Leone Magno corripitur. 445.

Reſipiſcit, & Sanctè obit 5. Maij. 449.

Scripſit Vir Sanctus orationem in funere S. Honorati, quæ eſt apud Surium 16. Ianuarij.

De miraculis S. Geneſij.

Hiſt. Geneſis Carmine heroico.

Homilias penè innumeras &c.

Ex his refellitur error Cruſenij, Herreræ, & aliorum, qui Duce Baronio, Hilarium hunc non diſtingunt ab Hilario Proſperi Socio, cum Hilarius, ad quem ſcribit Auguſtinus fuerit laicus, hic autem Epiſcopus, ille aliquandò in Africa vixerit, hic verò ex Europa nunquam diſceſſerit, vt Noriſius obſeruauit in Hiſt. Pelag. lib. 2. c. 2. quod autem ſcribit Baronius, quod Hilarius infula abiectà Lerinam ſeceſſerit, fabula eſt; cum Epiſcopus Arelate, non Lerinę clauſerit diem. Ex Riuio in vita Auguſt. Bollando, Labbè &c.

UT nulli Antiſtes noceas, imitare Columbam;
Serpentem, vt poſſit Nemo nocere Tibi.

ELO-

ELOGIVM IX

SANCTI ANTONINI MARTYRIS APAMIÆ REGIS.

LEMMA.

Antoninus molari lapide ad collum ſuſpenſus, in Garumnæ aquis immergitur, ſed lapide, quaſi Cymba leniter Vectus, Euangelium triduò prædicat, & quamplures regenerat Chriſto. ex Herrera ad annum 449.

AD *aquas Sapientiæ* nobiles animæ,
Fidem vbi *Antoninus effundens, vt flumina,*
Aquæ riuos è petrà fundit,
Et vitæ ſitientes inuitat ad potum.
Saxo olim legem in monte exararet digitus Dei,
Fidem natanti nunc ſcopulo confirmat in flumine,
Et pænali recumbens in mola,
Suggeſtum reperit in petrà, non tumulum.
Piſcator inclytus,
Nouo verbi experimento,
Euangelicum explicat rete,
Et ſaxo in aquis, quaſi rupe ſecurus in littore
Vah quam Cete multitudinem captat in flumine?
Præda iubilat occupata quaſi Venator,
Et Arcù verbi occidens, & ſanans,

Aquis

Aquis gignit, quos verbo percuſſit.
Prometheus hic nullus eſt,
Suam tamen damnatus ad rupem
Ædificat homines;
Et primò reſtituendo plaſmati intentus,
Non furatur, ſed diuidit flammas.
Ardet zelus ignis in aquis,
Quæ oblitæ furoris ſui cum igne tripudiant,
Quia dilectio fortis, vt mors,
Neque flumina obruunt illam.
Cadit aquarum in medio,
Semen Dei in terram bonam;
Quod æſtù æquè charitatis, at gelù purgatum,
Eodem ſeritur, & metitur triduò.
Paradiſi Garumnæ aquæ non ſunt,
Suam tamen nouorum in tempore multiplicant meſſem,
Et obrizum fundentes, vt lutum,
Nouam ſuprà petram ædificant Syon.
Fertur Spiritus Domini ſuper aquas,
Et merſam ſecum eleuans prædam,
Idolorum veteres ſordes,
Et Dracones immergit in aquis.
Reſipiſce ad hanc petram Viator, & Tù;
Et qui aqua ſemel in ſalutem ablutus es,
Vide vltrà nè maculèris.

CHRO-

ANtoninus Fredelaſij Regis Apamiæ Filius in Gallia naſcitur anno. 000.
Regno abiecto tondetur in Monachum. 399.
Annis 18. commoratur propè Salernum. 000.
Diem morte victrici claudit 2. Septembr. 449.
Ex tabulis Eccleſ. Toloſanæ, & Palentinæ, quæ illum regulæ Auguſtin. & votis addicunt. Vide Elſſium, Torellum, & alios.

PUlchra triumphali, veheris, qua mola, Garumna,
Te benè quàm Chriſti flamen, & aura vehunt.
Non tibi Græcorum lintres, non roſtra Quiritum
Æquarim, occidui lubrica monſtra maris.
Tù Indorum, vincis pretioſa pericula, merces,
Nec tibi conferri gemma, adamaſue queunt.
Theſſala quid meruit pinus, quid vellera Phrixi?
Hæc, hæc transferri ad ſydera digna ratis.

ELOGIUM X.

SANCTI GERMANI EPISCOPI ANTISIODORENSIS.

LEMMA.

Angli ſuaſù, & ductù Germani alleluia canentes in bello Saxones vincunt. Ex Herrera ad annum 450.

QVantà Sanctitatis audacia eſt?
Anglus, Germano Vexillifero,
Erumpit in Saxones,
Et abiecto ferocior enſe,
Hoſtem cantù, non ferro laceſſit.
Exit gladius bis acutus ex ore cantantium;
Et cantù fortior, ſonù occidit,
Quos enſe non cædit.
Intercidit belli flammas audita vox verbi,
Et cedrorum robuſta concutiens,
Aures lenit, terrefacit cor.
Caſtra fruſtrà poſuerant Saxones,
Inſtruxerant militem;
Cum Germano Auſpice, Angli
Enſe abiecto, cantù pugnarent,
Et cantù ſolo terrefacti ſucumberent Saxones.

Vin-

Vindictam Chriſtianorum videre manipuli,
Cum ex Anglis nemo ceciderit,
Et ex *barbaris* nemo ſurrexerit.
Dimicatum de Cælo eſt,
Dum tantum Infideles
Opprimeret cædes,
Et fidelium nullo cadente,
Jntegra Anglorum caneretur ex parte Uictoria.
Triumphum ergò, non certamen oculus vidit,
Cum pugnā corona, & coronam præuerterit pæan.
Vicit Anglus ſinè certamine, Germanus, vt cecinit,
Immò Germanus triumphauit, cecinit Anglus.
Nemo quęrat, quo Duce certauerint,
Decertatum de Cælo eſt,
Cum cantare fuerit vincerę,
Et pugnare vidiſſe Victoriam.
Pugnare aliter Chriſtianus tunc neſciebat,
Nec aliter vincere.
Pugnabant preces, ideòq; ſinè conflictū
Angli cecinere, contriti ſunt Saxones,
Angeli igitur, non Angli vicerunt;
Immò Anglus triumphauit, vicère Saxones;
Cum Anglus victoriā,
Victi clementiā potiti ſint Saxones,
Io: Pæan Eremi Ioſuè, qui hoſtè primò ſuperato,
Cantando vicit, & cantū prior triumphauit
Antequam vinceret.

Germanus Antiſiodori in Gallia naſcitur anno 000
In Cænobio Lerinenſi Monaſticam induit. 000
Britanniam nauigat, & conuertit Ethnicos Inſulæ. 429
Iterum nauigat, & Britannos à Pelagij hæreſi liberat. 435
Rauennæ diem obit miraculis clarus 31. *Iulij* 450
Ex Spondano, Surio, Beda, Elſſio &c.

Auditis ? cantù Domini perterritus Hoſtis
Cedit, & inuità proijcit arma manù.
Ferrum vox Domini, vox intercidit, & enſes,
Germani voces enſis, & æra timent.
Numinis ad iuſſum quales nos conuenit eſſe,
Armatę ad vocem, ſi cecidere manus.

ELOGIUM XI

SANCTI PORCARII LERINÆ ABBATIS, ET QVINGENTORVM SANCTORVM MARTYRVM.

LEMMA.

Porcarius Lerinenſis Cænobij Abbas Martyrij præſcius ſe, & ſuos hortatur ad pugnam. Ex Herrera ad annum 453.

ATro licet Porcarij nomine,

Atra-

Atramentum candicare neceſſe eſt;
Candore cuius, & ſanguine
Tot candidatæ ſunt Martyrum ſtolæ.
Aſcendit Iſrael ſpeculator
Eremi ſublimia,
Et Lupos venientes ex alto proſpiciens,
Gregem ità formidantem confortat ad prælium.
Aut Chriſto renuntiare neceſſe eſt,
Aut profiteri Martyrio Chriſtum.
Vitæ mihi actum eſt ſatis,
Vos longioris vſuram æui,
Æternitatis vſurà penſabitis.
Fugiemus? ſed turpe, cedere in bello, eſt,
Fugiſſe turpiſſimum.
Miles pulchrior eſt cæſus in pugna,
Quam ſaluus in fuga,
Et cædi in bello non dignus, qui fuga ſaluatur.
Diù vicimus, diù pugnauimus,
Sed iactura viciſſe eſt,
Ni coronam qui vicit, accipiat.
Qui diù pugnat, diù vincere poteſt, & vinci,
At qui ſemel pugnat, & vincit;
Non periculum timet, euaſit.
Cauendum, nè qui fortiter ſtetimus,
Ignaui cadamus.
Prouocandi fortitudine imbelles Eremi,
Et palmæ incertæ

Secura præferenda corona Martyrij.
Moriemur? at mortem ſtultè metuimus,
Qui quotidiè mori didicimus.
Eſt mori lucrum, quibus vita diſpendium fuit.
Scindendum ſemel hoc vitæ ſtamen,
Quod qui protendit
Diù extendit, vt diù ſuccidat.
Ad hoc viuimus, vt aliquandò honeſtè cadamus.
Breui mori expedit, non expedit viuere.
At durus videar? primus ego per tela, per enſes
Fortitudine armatus incedam,
Et hanc iuuenibus notam inuram,
Quod pugnam eligant ſenes,
Et detrectent adoleſcentes.
Rogo ſenior, iuniores,
Videte, ne amittamus, quod tanti iam fecimus.
Eamus ſeniores, præite Tyrunculis,
Et quos ordine, fortitudine, & fide præcellite.
Eamus, audeamus; quod credi non poterit,
Barbaros victos, Lerinenſes fuiſſe victores.
Agite ætas meſſium eſt;
At qui parcè ſeminat ſanguinis,
Parcè etiam metit, & gloriæ.
Eamus; prorſus non moriemur,
Immò prorſus tunc viuemus, defuncti cum erimus.
Nemo pugnæ ordinem deſerat,
Nemo pietatis agòni ſe ſubtrahat,

Mili-

Militamus Deo, non homini,
Ipſe in agone contendit,
Ipſe vincit, ipſe coronat,
Et quò lucta ſæuior, corona venuſtior.
Ità Porcarius exorauit, ità pugnauit,
Et in ſingulis pugnans, & vincens,
Triumpho nullibi audito
Pugnauit ſemel, quingentiès vicit.
Redi Lector,
Et diſce tù benè odiſſe, benè diligere.
Suos non benè odit, qui cum Porcario ità non diligit,
Et malè diligit, qui ità non odit.

CHRONOLOGIA.

Porcarius naſcitur anno 000
Lerinæ in Inſula tondetur in Monachum. 000
Diem morte victrici claudit 12. *Auguſt.* 453
Ex Baronio, Surio, Herrera, Torellio &c. Vincentio Varalli ſolum contradicente, qui vt Porcarium Benedictinæ Regulæ aſciſcat, eius Martyrium vſque ad ann. 730. *producit.*

Ille mihi quamuis nomen ſit, ſanguine ſplendet,
Martyrij, vt palmà pulchra Lerina mei.

ELOGIUM XII

SANCTÆ MAXIMÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS AFRICANÆ,

LEMMA.

Maxima ſponſum Martinianum unà cum Fratribus regenerat Chriſto. Ex Philippo Elſſio ad annum 456.

LAudamus Maximam Lector,
Sponſam ſimul, & Martyrum Matrem,
Laudauimus ſatis.
Quæuis de illa, maxima quamuis,
Semper laus minima eſt,
Vbi omne indignatum nomen elogium,
Laudari non patitur;
Laudibus enim commendari minima poſſunt,
Silentio maxima.
Magna in alijs virginitas ſit,
Quod virgines ſeruet,
Maior in Maxima, quod Martyres faciat.
Aceruus illa liliorum vallatus roſis,
Rubeſcit in purpuras,
Nec quia nupſit virgo formidat,
Sed quia peperit Martyr exultat.

Byſ-

Byſſus, *&* *purpura* Sanctæ ornamentum
Mulieris eſſent,
Verè nunc byſſus, & purpura
Indumentum Maximæ ſunt,
Cum ornata Sanctorum lumine,
Byſſum ſeù de virginitate candentem,
Seù de martyrio purpureum induat.
Sciebam alibi niues purpuraſcere vetuſtate;
Sed quod in Africa lilia
Candore integro vernent in roſas,
Auditum eſt primò.
Nouum Martyrij genus,
Quod ſinè ſanguine corona donetur;
Immò nouum fidei pignus,
Quod fæcunda virginitas Africæ
Virgo maneat, & Martyres pariat.
Ità Angeli nuberentur, ſi nuberentur,
Ità lilia in Eremo incorrupta ſeruantur,
Et generant.
Silentium Lector;
Ne ſi quid dignum de Maxima concipit animus,
Non exprimat calamus.

CHRO-

Digitized by Google

MAxima Uuandalo crudeſcente floret in Africa anno 000
Trabacam fugit, & dirè vexatur 000
Uirginum Abbatiſſa quieuit 16. Octobr. 456
Ex Victore Vticenſi de perſecutione vuandalica, Baronio Lezana, Grauina, &c.

MAxima ſum titulis, Maior re, cætera norunt
Euphrates, Ganges, Tybris, & Antipodes.

ELOGIVM XIII

SANCTI ROMANI ABBATIS IURENSIS.

LEMMA.

Romanus Gallorum primus Eremum petit, extruit Iuræ Cænobium, Dæmones vincit, miraculis fulget.
Ex Baronio, Elſſio, Noriſio ad ann. 460.

ROmanus Iurenſium Paulus,
Vrbi lucrum, ſolitudini pretium fecit.
Fugam ſæculi meditatus antequam noſſet,
Candoris byſſinum nè in Vrbe pollueret,
Illibatum ſeruauit in Syluis.

Hoſtem

Hoſtem vigilijs arcens, conſtantià frangens,
Manſuetudine homines, patientià dæmones vicit.
Æquè egeſtatem pati ſciens, & abundare
Omnibus rerum penurià abundauìt, eguit nihil.
Uirtutes tegere neſciens, occultare ſigna non potens,
Virtutes ſignis publicauit, virtutibus ſigna.
Aſper mollibus, aſperis mollis,
Obſequio iras, lenitate retorſit iniurias.
Idem omnibus prodeſſet, vt ſingulis,
Vnus omnibus ſufficere potuit,
Non vni ſinguli.
Eò humilior, quò glorioſior
Honorem contemptù,
Vilitate lucratus eſt Gloriam.
Famam virtutibus ſuperans, meritis æquans,
Eremo homines acquiſiuit, Empireo Angelos.
Alienæ curæ non immemor, quod memor ſuæ,
Uirtutes, quas vbiquè viuendo diſperſerat,
Abeundo collegit in tumulo. Anno 459.
Mundo vtilior eſſe cum deſijt,
Quam cum incæpit.

CHRONOLOGIA.

Romanus apud Sequanos in Gallia naſcitur circa ann. 400.
Primus ibi tondetur in Monachum. 435.
Sacerdotio initiatur. 444.

Clarus miraculis diem obit 28. Febr. ante ann. 460. Unde corrigi debet Baronius, & Torellus, qui vitam Romani recenſent anno 565. integri ſæculi metachroniſmo, ſicut Menardus, & Bucellinus Benedictini, qui Romanum Benedictinæ Regulæ adſcribunt; & alij, qui cum Romano S. Benedicti Miniſtro confundunt, cum nondum hoc tempore natus fuerit Benedictus. Vide Bollandum ad 28. Febr. Torellum in append. Tom. 5. Auguſtinum Lubbin in notas Martyr. & Noriſium, qui in Hiſt. Pelag. libro 2. c. 3. fusè conuincit Romanum, & ſocios inſtituti fuiſſe Auguſtin.

SOla ſuo quantum debebat Roma Quirino;
Romano debet Gallia tota ſuo.

ELOGIUM XIV

SANCTI LVPI TRECENSIS EPISCOPI.

LEMMA.

Lupus Threcas Vrbem ſuam ab Attilæ exercitù ſeruat intactam. Ex Ioanne Marquez, Herrera, Alouiſiano ad annum 479.

LVpum damus, ouem tù dices,
Si Lupi, & ouis inſpexeris merita.
Habitauit cum agnis Lupus,

Et

Et Agnus ouibus, prædonibus Leo,
Imperio oues, manſuetudine Lupos attraxit.
Gregem olim Paſtores abijcerent,
Paſtorum Lupus exemplar,
Ouile cuſtodijt,
Et cum oues occidant Lupi,
Lupum Lupus abiectus occidit,
Et ex Lupo conuertit in agnum.
Quam humanus igitur Lupus,
Dum gregem reparans, exenterans feras,
Vnus cuſtodiuit omnium gregem;
Et tamen quid tàm contrarium gregi quàm Lupus?
Lupus ergo voce, non corde,
Cum Luporum inter inſidias ſecurus inceſſerit,
Et forma gregis factus ex animo;
Lupos ouibus, & oues mutuò ſuſtulerit Lupis.
Paſtor itaque verè Lupus,
Dum Luporum recumbens in medio,
Lupos vicit, non formidauit,
Et ſuam pro ouibus animam ponens
Ignores an Paſtor, an ne Agnus vocari debuerit.
Proſequere lector,
Et hanc diſce à Lupo humanitatem;
Lupum vinces, ſi Agnus eris,
Et vincèris ab Agno ſi Lupus.

Lupus, Galliarum inclytum decus, naſcitur anno. 000.
S. Pimeniolę coniugio iungitur. 420.
Dimiſſa coniuge in Aſceterio Lerinenſi Monachum induit. 427.
Sacerdotio initiatur. 431.
Vnà cum Germano Antiſiod. contrà Pelagian. Britanniam nauigat. 435.
Fælix moritur in Succeſſoribus 29. Iulij. 479.
Agunt de eo Sigebertus, Ado, Gregor. Turonen. Beda, Uſuardus, Surius, Sidonius Apollin. Baronius &c. Sigonius ſcribit Hunnos ſæpè dicere ſolitos Attilam tantum ab vno Lupo in Gallijs, & Leone in Italia fuiſſe victum.

Qvi doctum ſimul, & ſimul ſagacem,
Fidumque quæris Ouium Cuſtodem;
Vltrà ne inquiras, hic quieſcit Lupus.

ELO-

E L O G I V M XV

SANCTI SEVERINI APOSTOLI NORICORVM.

L E M M A.

Seuerinus ignotus Patriâ Noricos ad fidem conuertit, Monaſticam auget, captiuos liberat, Reges corrigit, futura prædicit, Ex Staibano, Cruſenio, & alijs ad annum 482.

S Euerinus Eremi Melchiſedech
Sinè Patre, & ſinè Matre
Cęlum Patriam reputauit, domeſticos Angelos.
Humanis mitis, Seuerus barbaris, Seuerior ſibi
Fide miracula illuſtrauit, miraculis Fidem.
Æquè diſertus, ſiuè audiret, ſeù loqueretur,
Quæ auditù didicit, exemplo docuerat;
In hoc magnus, quod exemplis doctrinam vinceret,
In hoc maior, quod ſe non crederet eſſe, qui vinceret.
Urbes, vt doceret, Eremo ſtudens,
Humanitatem, *quà* homines erudiret,
A feris didicit.
Omnibus omnia, vt lucrum omnes faceret Chriſti,
Incertum fecit, an plures fidei,
An vitę reddiderit.
Vitiorum omnium Victor à nullo Victus,
Trium-

Triumphum non de hominum patientià,
Sed de ſuperbià dæmonum egit.
Lucrum vndiquè aucupatus calamitatis,
Miſeros ità fouit, beatos vt redderet,
Captiuis ità fauit, vt faceret liberos.
Suos ieiunijs armans, corroborans fide,
Moyſi ſuppar
Non vno orans fatigauit in bello barbariem.
Futura, ac præterita æquè diſtinguens,
Cum ſciret omnia, omnibus profuit
Ope præſens, Uirtute non diſtans.
Exceſſus in Regno execratus
In Rege non tolerans,
Quos corrigere Verbo non potuit,
Miraculo terruit.
Honoris immemor, oneris memor
Paſtoris, amore obſequente, onus admiſit,
Modeſtià, Prǽſulis, imperante, reiecit honorem.
Fato proximus, cum timere mortem non poſſet,
Plangere nollet,
Cygno ſimilis ſuorum inter fletus canere incępit,
Anno 482. 8. Ianuarij.
Incertum an Cęlo charius, an Terræ ſuauius.

CHRO-

CHRONOLOGIA.

SEuerinus ignotus Patriâ naſcitur anno. 000.
Tondetur in Monachum. 454.
Noricos, & Vuindelicos Chriſto regenerat. 455.
Regnum Odoacri prædicit Italiæ. 476.
Morti proximus canere cæpit 8. Ianuar. 482.
Corpus eius Falletum, tranſfertur deinde Neapolim. 488.
Vt conſtat ex libr. 8. epiſt. 18. S. Gregorij, vnde errat Carraciolus, qui ad annum 910. illius ponit translationem. Vide Eugippium, non Egeſippum, vt Sabellicus perperam legit, Surium, Baronium, Spondanum, Bollandum &c.

SEuerum quamuis dicant me nomine Vates,
Jngenium mitem me probat eſſe meum.

ELOGIUM XVI

SANCTARVM VIRGINVM & MARTYRVM AFRICANARVM.

LEMMA.

Plurimæ Africæ Virgines ſub Hunnerico ſuſpendia, pondera, & igneas laminas tolerantes, Martyrij agonem fęlicitèr claudunt. Ex Victore Vticenſi, & Baronio ad annum 483.

RObur verò pectoris veſtri,

Quibus

Quibus ego laudibus celebrem
Fortiſſimæ Uirgines?
Quæ primò Eremi Noualia
Veſtro ſanguine dedicaſtis,
Et quę prima nobis *tribuiſtis* exempla vincendi.
Magnà olim Viri
Fortitudinis laude claruerint,
Virorum vos fortitudinem
Muliebri in corpore victæ nunc vincitis,
Et quæ ferrum neſciebatis,
Ferro contenditis.
Prima, Serpentis inuidià,
Inter flores ciciderit Mulier,
Serpentem nunc inter arma mulieres cædunt,
Vt colo pereat, dolo, qui occidit.
Suas iactet Amazones Scythia,
Nouas Africæ Bellatrices
Auguſtiniana parit Eremus,
Vt vbi noua ſemper monſtrorum ſunt genera,
Ibi, & noua ſint Martyrum monſtra.
Sæuiet quidem in ſingulas Tortoris impietas,
Sed Tyranni crudelitatem
Tortæ torquebitis,
Dum leonem Agnæ captiuæ,
Lupos deuorabitis oues occiſæ.
Repullulabit vbiquè purpurantium
Fœtù palmarum

Am:

Amplificata ſeges Eremi,
Et quę ſemel vincitis, æternum vincetis,
Spumabunt Africę littora cruore Virgineo,
Et erumpentium velut gemmarum vnione,
Coacta vindemia,
Quot botros afferent, tot Martyres ferent.
Vtinam, lector, fortitudinem fœminarum
Diſcerent viri,
Et robuſta virilitas ferret,
Quod imbellis Virginitas obtulit,

CHRONOLOGIA.

E*A; teſte Elſſio in Encomiaſtic. Auguſtin. pag.* 519. *Critana, Lancillotto, Torellio &c. fuit in Africa Martyrum meſſis, vt ſoli ex Ordine bis mille ſuprà quingentos coronari prò Chriſto meruerint. Verum cum omnia Barbarorum eraſerit furor, etiam nomina harum Virg. perierunt*, & ſunt quarum non eſt memoria. *Agunt de illis cum laude tabulæ Eccleſ. ad* 16. *Decembris, Baronius ad annum* 391. *Grauina, Lezana ad ann.* 484. *Genebrardus ad ann.* 504. *eaſque meritò omnes Auguſtin. Ordini adſcribunt, cum nullus tunc niſi Ordo Auguſtin. floreret in Africa teſte Suarez de Religi. Tomo* 4. *libr.* 2. *c.* 9. *Cellotio libr.* 5. *c.* 9. *& alijs*.

ASpicis, vt ſexu Maior per tela, per enſes,
Uirgineo incedat tuta pudore Cohors.
Nec potis eſt ferrum generoſi pectoris ignes
Condere, nec tantam fax inimica facem.
Immò hilaris ſpectat iugulatæ pignora prolis,
Exemplo, & totum prouocat vna gregem.
Protinus, & ſocias armat patientia dextras,
Protinus, & ſubicit pectus inerme cruci.
Thermòdon taceat, ſuperantur Amazones; illæ
Multum pugnando, hæ plus patiendo valent.

ELOGIUM XVII

SANCTORVM SEPTEM AFRICÆ MARTYRVM.

LEMMA.

Liberatus, Bonifacius, Seruus &c. Naui ſub Hunnerico abſque remige, ac Velo confixi, igni traduntur, ſed igne extincto remorum vectibus iugulantur.
Ex Victore Vticenſi de perſecutione VVandalica libro 3. Baronia ad annum 484. 17. Auguſti.

TVas Apage Roma Naumachias,
Et vide quam fortitèr, Syluarum Incolæ
In Mari ſe geſſerint.

Ca-

Caue ergo nè Eremi Pugiles
Imperitos aquarum putes,
Cęleſtem nauticam illi didicerunt
Primum in Syluis,
Nec quia Mare ex Eremo viderunt, timent.
Sed quia ad Mare ex Eremo venerunt, ſperant.
Laureandi in tormentorum nauticâ Duces
Mare aſcendunt in aquis multis,
Et rati, ſinè remige, ac velo confixi,
Vide, quam proſperum, Cęlo aurigante,
Confecerint iter.
Nauis iſta charitatis remigio vecta
Roma, & ipſa deſiderij vehet ad littus,
Et argòa fœlicior puppi
Non phrixæum, paleſtinum prædabitur vellus.
Viam olim in Mari rubro
Attonitis fluctibus, ſicco veſtigio,
Transfretauerit Iuda captiuus;
Portum Eremi fortiſſimi
Agni ſanguine rubricati inuenerunt in aquis validis,
Et Agni Candidati veſtiti ſunt byſſino.
Fremat licet Prædo fruſtratus,
Et vehementius ligna ſuccendat
Flammæ immobiles, quaſi lapis,
Comburendi vim amiſerunt,
Et oblitæ virtutis ſuæ,
Frigefacere primò ſunt viſæ.

Reſtiterunt ligna arida vi elementi,
Et mutato naturæ ordine,
Ligna aruerunt, refriguit ignis.
Superare Martyrum flammam flamma non potuit,
Segnior fuit ignis, qui foris vſſerat,
Quam qui intus ardebat.
Aurum toties igne Chriſti examinatum,
Probatum ſeptuplum,
Adulteræ reprobare non debuit flamma.
Niues non Ætnę, ſed Libani,
Candoris præter detrimentum, igni fideles,
Blandum ineunt cum igne certamen,
Et nouo in Mari ſpectaculo
Niues ardent, refrigerat flamma.
Diſce lector,
Refrigerabit ignis, & te,
Si nulla te vitiorum ſuccenderit flamma.

CHRONOLOGIA.

E*Git de hiſce Martyribus Victor Vticenſis de perſecutione VVandalica libr.* 3. *in appendice, à quò cæteri mutuarunt. Vide tabulas Eccleſ. ad* 17. *Auguſti, Vſuardum, Baronium, Lezanam, & alios ad ann.* 484.

PRO-

PROGRAMMA.

B. Liberatus, & ſeptem Socij Martyres Affricani Eremitarum. 3054.

ANAGRAMMA.

Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Pſalm. 65. 3054.

EPIGRAMMA.

Vandala Chriſtiadum Terris vbi ſæuit Enyo,
Accendère ſuas ignis, & vnda minas.
Flamma vbi ſed ſacras accendit barbara flammas,
Extinxère ſuas ignis, & vnda minas.
Scilicet Ætherei fuerat, quæ Flaminis eſca,
Non fuerat ſtygiis eſca cremanda focis.

ELOGIVM XVIII

SANCTI MAXIMI MARTYRIS AFRICANI.

LEMMA.

Maximus inter ſeptem admodum Puer Hunnerici barbariem exprobat. Ex Victore Vticenſi de perſecutione Vvandalica libro 3. Baronio ad annum 484. *& alijs.*

AD arma Duces,
Vicere Tyrunculi.
Maximus infans renunciare fidei iuſſus,
Fidem enunciat,
Et medios inter Uuandalorum ſacrilegos focos,
Vexillum explicat Chriſti Victoris.
Ecquid, ait, [aliorum ſpiritu armatus]
Ecquid ſuades, quid minaris iubata crudelitas?
Mortem? ſoluendum ſemel hoc vitæ penſum,
Nec quandiù, ſed quà viuimus eſt cogitandum.
Vitam? ſed vitam damnat impiorum
Mors Innocentis,
Et cana longitudinem vitæ pueritia.
Aurum? ſed auri contagio
Aurum Chriſti non inquinatur,

Et

Et fortis neque luxù, nec auro corrumpitur.
Ferrum, vincula? ſed paruo in corpore
Virilis eſt animus,
Et vinctis in Domino.
Ornamenta ſunt iſta, non vincula.
Fauſta nobis hæc dies eſt,
Quæ Agni ſangnine purpurata
Antiquos Africæ, nouos Machabæos
Eremo parturiet,
Rudem fruſtrà terres infantiam,
Quę adulta in Maximo, non infans in minimo,
Deo non agri primitias,
Sed Sponſæ, & Agno primitiua ſacrificet ſanguinis.
Meos ego per dura, per aſpera,
Et quàcumque deduxerint ſequar.
Certabo, & ipſe cum ſingulis,
Quod ſi noluerint,
Ipſe vim faciam,
Ipſe me vrgebo.
Igne prius fruar ac beſtijs,
Quam Chriſto renunciem,
Frui didicit inter ſpinas, & pueritia,
Meq; meorum à cætù nemo diuidet;
Nemo diſtinguet.
Vna fuit omnium vita,
Vnus erit omnium curſus, vna etiam erit, & palma.
Ità fortiſſimus inter ſeptem Tyrunculus dixerat,

Ità

Ità ſe præſtitit;
Ad arma Duces,
Vicère Tyrunculi.

CHRONOLOGIA.

NVlla de Maximo, niſi ex Victore Uticenſi, vt dicebam, memoria ſupereſt; qui vbi ſupra eius laudes effuſè proſequitur.

ME minimum natù quamuis Getulia credat;
Non Minor; in Magnis Maximus eſſe probor.

ELOGIVM XIX.

SANCTI PATRITII HIBERNORVM APOSTOLI.

LEMMA.

Lux dierum duodecim ſpatio Patritij in tumulo, abſque nocte, perpetuò fulget. Ex Cruſenio p. 2. *c.* 1. *ad annum* 491.

CRedite Poſteri, quod credi vix poteſt,
Male creditur, quod nunquam eſt viſum.
Noua Hiberniæ,

Pa-

Patritij in ſunere, exoritur lux,
Et inuerſo naturæ ordine,
Vna dies in duodecim creuit.
Sciebam quod Lunæ lux aliquandò ſplendebit, vt ſol,
Sed quod duodecies ſol,
Nullo interſtitio tenebrarum, protraheret lucem,
Auditum eſt primò!
Signum aliàs apparuerit magnum in Cælo,
Mulier Stellis circumamicta;
Maius erit poſthàc in terris,
Vir in feretro ſole circundatus.
Solem ſydera occidentem radiorum
Coronà circundent,
Solem Patritium ſuum orientem ſequitur ſol,
Et Sanctorum circundat in lumine.
Ità Angeli mori vellent, mori ſi poſſent.
Ità deberet ſol tumulari, ſi poſſet occidere.
Longas Hibernia paſſa ſit noctes,
Nulli fuit tam longa dies.
Solis Inſula perenni ſolſtitio,
Fidei tenebras vidit in lumine,
Et prima ſuæ claritatis phænomena inſpiciens,
Lucem prima dedit Ægypto,
Et Clementiam populo barbaro.
Agnoſce Hibernia noctis tuæ vnicam cauſam,
Exindè tenebræ in te,
Quia *non exoritur vltra ſol tuus*.

Patritius Hibernorum Apoſtolus in Anglia naſcitur anno. 368.
Captus à Barbaris Hiberniæ Regulo in ſeruum venditur. 384.
Sacris à S. Martino Turonen. initiatur. 398.
Sub Germano Antiſiod. Monaſticam agit. 403.
Iuſsù Angeli Romam petit. 431.
In Epiſcopum conſecratur à Cæleſtino Rom. Pont. 433.
Hiberniam ſignis, & virtutibus Chriſto regenerat. 436.
Clarus miraculis diem obit 17. *Martij.* 491.

Ex Bollando, Iocellino, Baronio, Spondano, & noſtris. Plura ſcripſit, quæ apud Elſſium legi poſſunt; ſed ea eſſe fabuloſa conuincit Henſchenius ad Martij 17.

PROGRAMMA.

S. Patritius Hiberniae Primas Ordinis S. Auguſtini. 2196.

ANAGRAMMA.

Stetitque Sol in medio Cęli, & non feſtinauit occumbere. Ioſue 10. 2196.

EPI-

EPIGRAMMA.

ET latet, & lucet radiorum conditus vrnà,
Occiduo qualis Phœbus in axe micat.
Lumina tranſactæ ſunt hæc ſolatia noctis;
Credibile eſt illum ſic voluiſſe mori.

ELOGIUM XX

SANCTI GELASIJ ROMANI PONTIFICIS.

LEMMA.

Gelaſius intèr Doctos minimè inflatus, pauperes fouet, Clerum auget, Hæreticos punit, libros authenticos ſecernit à ſpurijs. Ex Staibano ad annum 496.

GElaſius, gelù, vt Europę cinefaceret,
Natus in Africa,
Africę ſimul, & Europę conſumpſit incendia.
Aduerſá nocuerit aliàs Romæ Carthago,
Nemo Gelaſio, euerſę, prò
Carthagine, Romę plus profuit.
Vaticanàm ex Eremo vocatus ad purpuram,
Petri ſedem ornauit moribus, doctrinà ſuſtinuit.
Superbè alij ſequantur honores,
Nemo honorem ità quęſiuit,
Vt ſpontè Gelaſium fugientem ſecutus eſt honor.
Omnibus melior, omnibus profuit.

Digitized by Google

Nuſquam humanior, quam cum eminentior,
Nec uſquam humilior,
Quam cum cęteris eſſet excelſior.
Deo ęquè dilectus ac homini;
Humana moderans, Diuina promeruit;
Et Apoſtoli vota tranſcendens
Numini obediuit, hominibus placuit.
Fulmen hęreſum, fidei flumen
Pullulantes errorum Hydras
Quà Sermone, quà ſtylo confodit,
Prouidentià ſic *Satagente*,
Vt vbi noua inferi monſtra,
Nouos Africa daret Alcides.
Vt grex quieſceret irrequietus,
Salutem ouium curauit, vt ſuam;
Fortis dum Luporum retunderet rabiem,
Vtilis dum Lupi, & ouis diſtingueret paſcua.
Vrbem ædificans clericis, clerum exemplis,
Ferreo in ſęculo ità ſe geſſit;
Vt cum ſemper in eo probi inuenirent,
Quod ſequerentur;
Nihil improbi, potuerunt inuenire
Quod reprehenderent.
Pater pauperum inopià ſuà
Miſerorùm copiam beans,
Ità ſe prodigè effùdit in ſingulos,
Ut inops ipſe, ac pauperrimus mori voluerit.
Anno

Anno 496.
Beata Eremus,
Si ſępe huiuſmodi piſcatores
Tranſmitteres Romam.

CHRONOLOGIA.

Gelaſius primus ex Patre Valerio in Africa naſcitur anno. ooo.
Africà à Vuandalis deuaſtatà petit Jtaliam, & Pontificio initiatur. 492.
Romam Concilium vocat, in quo libros veros ſecernit à ſpurijs, & Auguſtini doctrinam conſecrat. 494.
Euphemium Bizantinum non recipit, quod nomen Acacij nollet è ſacris diptychis abolère, & contrà eumdem ſcribit encyclicam. 495.
Libros Manichæorum publicè incendit, & diris vouet Pelagianos. 496.
Moritur inops, quod Pauperibus omnia daret, Nouembris 21. 496.
Scripſit Vir Doctus Decretum Synodale. *lib.* 1.
Epiſtolas plures. *lib.* 1.
Gradualia, & præfat.
Contra Arianos. *lib.* 1.
Hymnos. *lib.* 1.
Orationes. *lib.* 1.
Contra Eutychen, & Neſtorium lib. 5. *quos tamen Cano lib.6.*

lib. 6.c. 8. de locis Theolog. & omnes ferè Recentiores S. Gelaſij non eſſe contendunt. Vide Baronium, Bellarminum, Onuphrium, Genebrardum, Nauclerum &c.

IGnea cur tanto feruet ſub Præſide Roma?
Quod docet iſte facit, quod facit iſte docet.

ELOGIUM XXI

SANCTI SEVERINI ABBATIS AGAUNENSIS.

LEMMA:

Seuerinus nobilitate clarus, & ſcientià, Monaſticam induit, ægrotos ſanat, captiuos redimit, priſtinæ Clodouæum ſaluti reſtituit. Ex Henrico de Noris in Hiſt. Pelagiana.

SEuerinus,
Quem ſuis, Antiquitas exæquare
Non potuit votis,
Eremum meritis illuſtrauit,
Miraculis Galliam.
Splendori ſanguinis parem ſemper animum gerens,
Naturę ità debuit, vt debere vix poſſet induſtriæ,
Ità induſtrię, ac debere naturæ vix poſſet.
A nullo diſcere renuens, edocere ſingulos aptus,
Omnium

Omnium ſcientiam lacte bibit, ætate non didicit.
In Diuina ſemper intentus,
Humana quod ſperneret,
Inquilinum Terrę dixiſſes,
Ni Terræ ſemper expiandę veniſſet è Cęlis.
Alienas vmbras ſuæ corrigens vitæ ſplendoribus,
Peccata ſciuit, vt pelleret,
Ægritudines, vt auferret.
Iratis blandus, amabilis improbis,
Iras obſequiò blandas,
Amabiles patientià fecit iniurias.
Æquè Signorum, ac virtutum luminibus clarus,
Signis virtutes illuſtrauit, virtutibus ſigna.
Lutetiam Clodouęo ſanando vocatus,
Anguſtam reperit, reliquit Auguſtam.
Dignus febribus imperare, qui Deo paruerat,
Deo dignus obedire, qui expulerat febres.
Aſylum miſeris factus, captiuis auxilium,
Vt ſe totum omnium mancipauit calamitati,
Ità omnium libertatem dilexit, vt ſuam.
Diſſolui deniquè cupiens, & eſſe cum Chriſto,
Solis inſtar ſtellarum in lumine
Lucem *non* perdidit, acquiſiuit.
Anno 506. 11. Februarij.

CHRO-

Digitized by Google

SEuerinus miraculorum gloria illuſtris in Gallia naſcitur anno . 000.

Aſceterio Agaunenſi, in quo nongenti aliquandò vixerunt Monachi, Nocte, & die Deo pſallentes, ſumptibus Sigiſmundi Burgundię Regis; Sanctiſſimè præfuit anno 476. vſquè ad ann. 505.

Lutetiam Clodouæo ſanando vocatur. 506.

Diem in pago Nantonienſi fælicitèr claudit 11. Febr. 506.

Jtà Bollandus ex manuſcriptis Agaun. vnde errant Spondanus, & alij differentes eius obitum ad ann. 508. Tritbemius, qui illum benedictinæ regulæ addicit, cum antequam Benedictus natus eſſet, Seuerinus Agauni viueret, & Pennotus qui Canonicum Regul. fuiſſe ſcribit, cum anno tantum 1150. ibi primum apparuerint Lateranenſes, vt notat Bollandus. Verè ergò Agaunenſe Cænobium, ſicut, & Iurenſe, de quò ſuprà, fuerunt noſtra, vt ex eorum regulis ab Holſtenio Romæ 1661. publicatis doctè, & fusè oſtendit Noris libr. 2. c. 3. Hiſt. Pelagianæ. Vide Baronium, Spondanum, & noſtros.

LAus aliqua eſt Aulæ Primis, Regique placère;
Sed laus eſt maior Te placuiſſe Deo.

ELO-

ELOGIVM XXII

SANCTI FULGENTII RVSPENSIS EPISCOPI.

LEMMA.

Fulgentius græcas, & latinas litteras doctus, fidem ſuſtinet contrà Arianos, coram Rege Traſamundo publicè diſputat, exilio pellitur, reuocatur.
Ex Baronio ad annum 504.

FVlgentius,
Cui nihil addere fama,
Nil detrahere poſſet inuidia,
Anteà cæpit fulgurare, fulgere quam noſſet.
Alienà fulgidus luce, fulgentior ſuà,
Auorum lumina non accepit, ſed fænerauit.
Deo tantum, & ſibi notus,
Humana à puero ignorauit,
Diuina comprehendit.
Maxima inter optimos æmulatus,
Minora audijt, maiora percèpit.
Eremi, Matre reluctante, ſcrutatus anguſtias,
Liber inter feras abijci maluit,
Quam inter Homines ſedère mancipium.
Laborum patiens ſupra fortunam,
Abſtinentiæ ſupra naturam

Quam alijs dedit lenitatem,
Abſtulerat ſibi.
Bonis mala redimere aſſuetus
Iniurias toleràre, multàre non potuit.
Inuitus Sacerdotio initiatus,
Ornàuit, non ornatum recepit ab infulis.
Quam mitis in ſubditos, immitis in Reges,
Æquè ſe in probos humanum,
Ac ſeuerum oſtendit in improbos.
Exul rarò, ſæpius Redux
Exiliò Calarim illuſtrauit, triumphò Carthaginem.
Ario Chriſtum, veritatem præferens aulæ,
Facundià Reges deliniuit, modèſtià fregit.
Tyrannos aggredi aſſuetus, non formidare;
Reliquit incertum, num plus hæreſis debacchàri,
An conſtantia pati plus poſſet?
Stylò fulgens, fulgurans verbo,
Vnde arſit, inde refulſit;
Et cum ſemper ardere contenderit,
Nunquam tamen fulgère deſiuit.
Fulgor ergò idem, qui fulgur,
Suà vndique luce ſe prodidit;
Et in ſplendoribus naſcens,
In ſplendoribus adoleſcens
In ſplendoribus quoque decubuit
Anno 504. 1.Ianuarij.
Præſulum fulgor,

Glo-

Glorioſus, quod ità luxerit,
Glorioſior, quod ità latuerit.

CHRONOLOGIA.

Fabius Claudius Gordianus Fulgentius Telepte in Africà ex proconſulari familià naſcitur anno 463.
Matre fruſtrà reluctante tondetur in Monachum. 484.
Sæua patitur ab Hæreticis. 490.
Siciliam nauigat. 499.
Deinde Romam, & Theodorici triumphum videt. 500.
Repetens Africam Sacerdotio initiatur. 501.
Inuitus inauguratur Epiſcopus Ruſpens. 504.
In Sardiniam relegatur à Traſamundo. 504.
Reuocatur, & iterum exulat. 505.
Reuocatur, & more triumphantis Carthagine excipitur. 522.
Tandem anno ætatis ſuæ 65. magnis de Eccleſia meritis plenus dormiuit in Domino 1. Ianuar. 529.

Scripſit Doctor eloquentiſſimus plura, quæ in editione Sirmundi, Bellarmini, & Rainaudi videre potes, præcipuè contra Arianos, & Pelagianos. Illum regulæ, & notis Auguſtin. adſtrictum volunt Baronius, Molanus, Tepes, Lezana, Fara, Tomaius ad ann. 504. *& inſignioris Hiſtorici notæ: vnde amicè admodum, & fidentèr ſcripſit Labbè Tom.* 2. *de Script. Eccleſ. dicens* Sciolorum ſententiam eſſe, non Doctiorum,

quod Fulgentius, & plures alij Eremi Auguſtini Cultores extiterint.

Fulgor es, an fulgur doctrinæ? ſplendor, an ardor?
Incertum eſt. Ardet, ſplendet vtrumque ſimul.
Fulgore efferues, æſtù fulgeſcis amore,
Ferues lux, luces feruor, vtrumque manes.

ELOGIUM XXIII

SANCTI DONATI, ET SOCIORUM.

LEMMA.

Donatus Africà à Vandalis deuaſtatà Europam migrat, & in Hiſpaniam primùm Auguſtini Monaſticam inuehit. Ex Mariana lib. 5. cap. 11. ad annum 583.

Fuge Africam Viator, & Tù,
Nouas vbi Africa ſyluas,
Et ſolitudines fugit Eremus.
Dulce olim fuerit,
Africæ inter ergaſtula oblectari virtutum monſtris,
Dulcius erit poſthàc ſpelæa inter Europæ,
Delectari hominum formis,
Et Angelorum vidiſſe certamina.
Euntes eunt, & lugeant,

Inter

Inter Numidiæ latebras Eremi reliquiæ,
Extremam exultantes Heſperiam petent,
Et fronte hilari, attritis VVandalis, victà barbarie,
Deportabunt manipulos ſuos.
O manipulos, quos non vrit, ſed recreat æſtus!
Quia Agni ſanguine rubricati
Suprà aſcendunt riuos aquarum;
Et Agno ocurrunt,
Et quocumque tetenderit, currunt.
Erumpet vndiquè purpurata Martyrum meſſis,
Quæ longè, latèquè ſpecioſa deſerti locupletans,
Europæ implebit ſolitudines nouo frumento;
Et Americam noua vindemia.
Eleuabunt à vocibus Martyrum
Eremi flumina voces ſuas,
Et Euangelij buccinà vbique ſtrepentia
Quodam omnes excitabunt tripudio Inſulas.
Grana dabunt multiplicatæ Africæ fruges,
Dum quæ ſingula iaciuntur,
Nouo fæcundabunt deſerta frumento.
Diſce lector,
Nocet Patrià ſæpè, non iuuat;
Cum nata in Africa Eremus in Africa pereat,
Alióquè translata ſic floreat.

CHRO-

NOua in Africa, extincto Hilderico, perſecutione recrudeſcente, Donatus cum alijs 70. Hiſpaniam nauigat ann. 530.
Seruitanum Cænobium condidit. 570.
Regulam Auguſtin. primus expoſuit, & ad Hiſpanos primitiùs vexit. Clarus Sanctitate, & Miraculis obijt primâ Nouemb. 574.
Donatum Aureliano Ord. adſcribunt S. Iſidorus, Maximus, Tepes, Tamaius, Mariana lib. 5. c. 11. quicquid contrà Pennotus obijciat, & Tritemius, qui illum Benedictinæ familię aſciſcit, cum ſolum ſæculo 10. Benedictini in Hiſpaniam penetrauerint.

GEtulæ quantum nocuit * Donatus arenis;
Donatus tantum profuit Heſperiæ.

* De Donati ſchiſmate intelligit.

ELOGIVM XXIV.

SANCTÆ RADEGVNDIS REGINÆ FRANCORVM.

LEMMA.

Radegundis Clotario nupta inter pompas aſperrimè viuit, Monaſticam ſeparata à Rege vouet; pauperes, & Ægrotos muneribus fouet. Ex Philippo Elſſio ad annum 590.

RAdegundis, ingenio quodam prouidentiæ,
Terris oſtenſa,
Uirtutes omnes aut Regales inuenit, aut fecit.
Chriſto prius nupta, quam Regi,
Chriſto nè diſpliceret, Regi non placuit,
Et pompis vtens, quaſi non vtens,
Inter Aulæ delicias continens,
Inter opes pauperrima fuit.
Totum ſe amittere reputans,
Quod egenis non erogaret,
Aurum amauit, vt perderet,
Collègit, vt ſpargeret.
Reginam falsò ſe credens
Niſi cum ſe Ancillarum ſubijceret infimę,
Neſcis an omnium ſeruam, ſe præſtaret,
An omnium Dominam.

Doctè inſipiens, vt indoctè fieret ſciens
Clotarij thalamum inſipientià doctiori
Subdidit Cruci;
Vtraquè doctiſſima,
Vel cum Regnum inuita dirigeret,
Vel cum Clauſtrum feſtiua contenderet.
Pharos æqualitèr ſplendens,
Siuè in Aula lucèret die,
Siuè in Clauſtro præeſſet nocti,
Æquè opera lucis in Aula,
Ac ardoris in Clauſtro diſtribuit.
Ità ſingulos venerata, ac ſi timeret,
Ità timens, ac ſi non amaret,
In ſe vnam tantum deſæuijt,
Quam deſpiceret, quam non amaret.
Zizania eradicans vbi erant,
Et auertens vbi non erant,
Sua innocens, cùm non haberet,
Peccata aliorum multauit in ſe.
Malos prouocans beneficijs, miraculis terrens,
Iniurię meminit, vt benefaceret,
Calumniarum, vt benediceret.
Lucrum vndiquè aucupata calamitatis,
Ærumnis indoluit aliorum, non doluit ſuis.
Sponſi tandem vndequàquè veſtigijs hærens,
Cœlum, vndè venerat lęta repetijt
Anno 590. 13. Auguſti

Regina

Regina vnquam digna non mori,
Si dignus illa fuiſſet Mundus.

CHRONOLOGIA.

R*Adegundis Berthari*j *Filia Thuringiæ Regis naſcitur ann.* 000.
Patre occiſo captiua ducitur à Clothario *Rege Franc.* 527.
Nubilis facta eidem Regi coniugio iungitur. 000.
A Rege ſeparata Monaſticam induit. 559.
Obit, & Corpus eius Miraculis claret 13. *Auguſti.* 590.
Radegundis egregia facta libro integro ſcripſit Venantius Fortunatus eidem familiariſſimus, Gregorius Turon. qui exequijs eius interfuit, Surius, Sigebertus, Vincentius, Tritb. & plures alij apud Baronium, & Torellium ad ann. 590.

RADEGVNDIS IN PAUPERES AMOR.

EPIGRAMMA.

C*Olligat an ſpargat, ſeruet ne an prodigat aurum*
Neſcio? quò tribuit, plus Radegundis habet.
Creſcit Egènorum geminata pecunia votis;
Quò plus donantur, plus & habentur opes.

ELOGIUM XXV

SANCTI VENERII.

LEMMA.

Venerius Palmariæ in Inſula attonſus in Monacum dracones expellit, famelicos paſcit, ventis imperat, exuſcitat mortuos. Ex Torellio ad annum 600.

VEnerij ortum ſi attendas,
Hominem dixeris,
Si virtutes, credideris Angelum.
Auorum Glorię memor, non immemor ſuæ,
Illam ornare ſe credidit, virtute ſi ornaret.
Naturæ enim nobilitas ſanguis,
Animarum nobilitas virtus.
Ætatum pueritiam ſolam expertus,
Pueritiæ ſolos annos,
Infantiæ ſenium, ſenio candoris incremento,
Coniunxit infantiam.
Quà cautius viueret digreſſus ad cautes,
Palmariam petijt,
Nuſquam tutior, quam cum inter fluctus,
Nuſquam ſecurior,
Quam cum eſſet à terra remotior.
Vinci ſe niſi vinceret, arbitratus,

Inſu-

Inſulam ęquè ſpinarum ſyluam,
Ac Palmarum pomarium fecit.
Virtute amores omnium aucupatus,
Miraculis famam,
Uirtutem prodigijs decorauit, virtute prodigia.
Exemplò faciens, quod verbo docuerat,
Uerba rebus ſuperauit, exemplò doctrinas.
Famem mallens pati, quam pellere,
Cibum ſumpſit, non quò famem,
Sed mortem expelleret.
Humana facere oblitus,
Diuina quod ageret,
Belluarum impetum precibus,
Nequitiam hominum miraculis vicit.
Naturę Dominus, quod domitor ſui,
Nymborum rabiem accendit,
Vt licuit, extinxit, vt libuit.
Hominę maior ſiuè vitę, ſeù morti præeſſet,
Mortuos flere commiſſa,
Viuos non committere flenda præcepit.
Nominis gloriam, non probra formidans,
Traiecit in Corſicam,
Inter feras expiaturus
Si quid inter homines ferinum induerat.
Terreſtris Angelus ſe Deo ſimilem,
Feras ſibi ſimiles reddens;
Coruos habuit familiares, domeſticos Angelos.

Digitized by Google

Ex Cyrne Liguriam, ex Liguria repetens Cęlum,
Palmarum inſulam acquiſiuit,
Non dereliquit. Anno 604. 13. Septembris.

CHRONOLOGIA.

VEnerius Lunæ in ora Orientali Liguriæ naſcitur ann. 000.

Adoleſcens Palmariæ in Inſula tondètur in Monachum. 000.

Migrauit admirandæ vir Sanctitatis 13. Septembris. 590

Eius acta in compendium reducta produxit Petrus De Nat. libro 8. c. 66. Vide Elſſium, Torellum, & alios, qui illum meritò Auguſtin. regulæ adijciunt, tum quia fuit Eremita, & Regularis, quæ notæ Auguſtin. Ord. ſunt, vt docet Suarez Tom. 4. de Relig. libr. 2. tum quia ex Regeſto Gregorij Magni lib. 4. c. 60. Monachi olim Palmariæ mittebantur ad Monaſteria Caprarię, & Gorgònæ, quæ Ordinis Auguſt. fuiſſe conſtat ex epiſt. 81. Auguſtini ad Eudoxium Abbatem Capraria. Vide Lupum De Orig. Er. S. Auguſt. cap. 10. & 13.

VE-

VENERIVS HORA EADEM, QVA HORDEVM SEMINAT, METIT.

EPIGRAMMA.

ARida Venerij candeſcunt hordea dextrà,
Atque eadem meſſem, quæ ſerit hora, legit.
Flaueſcit ſine rore Ceres, ſine tempore ariſtæ.
Seminat vna dies, colligit vna dies.
Aurea Chriſtiadum ſurgunt aut ſæcula Terris,
Saturni aut redeunt ſæcula Venerio.

ELOGIUM XXVI

SANCTI FVRSEI PRIMOGENITI REGIS HIBERNIÆ.

LEMMA.

Furſeus in vtero Clauſus *Auum obiurgat, quod in Matrem, tamquam adulteram ſæuire contenderet.*
Ex Herrera, Staibano, & alijs
ad annum 650.

FVrſei Sanctitas Gigantis in vtero,
Nullam pueritiæ, vel in vtero agnouit ætatem.
Vox Domini,
Robuſtorum excelſa comminuens,
Ab vtero intonuit;

Et

Et lucis expers
Veritatis efficitur Teſtis.
Prȩco Verbi
Non viuit, & loquitur,
Et ſine litteris Doctus;
Eruditus ſine doctrinis;
Prius nouit loqui, quam viuere,
Et ante vincere, quam noſſe perfidiam.
Homo & ipſe à Deo miſſus,
Obliqua ſcelerum conuertit in recta;
Et Aui calumnias Infans vel incluſus,
Voce retundens,
Vteri Ergaſtulum in Maieſtatem ſuggeſti conuertit
Pugil inclytus ſine brachijs
Luctatur in vtero;
Et linguà, quod non poterat manù conſequitur.
Honori Matris vigilauit ſollicitus *Tuer,*
Et ſpiritù oris ſui percutiens impium,
Uerbi ſe gladio defendit, & Matrem.
Qualem ergo credas Infantem,
Qui fari neſcius tonat ex vtero
Et lactis incapax vagitù deterret?
Prȩludit futurȩ Sanctitati Prȩcurſor impatiens,
Cum valles erigens, deprimens colles,
Nouo ſpecioſa Deſerti frumento,
Antiqua vini vbertate ditauerit colles.
Exurge & Tù ad Furſei ſigna Viator,

Benè

Benè ille nondum natus ab vtero cæperit,
Benè Tù moriturus ab vtero deſine.

CHRONOLOGIA.

Fvrſeus Regio in Hibernia naſcitur genere anno. 000.

Patrià derelictà tondètur in Monachum. 000.

Vnà cum Fratre Fulliano Euangelium prædicat Gallis. 650.

Miraculis Clarus Latiniaci in Gallia moritur 16. Ianuarij. 653.

Ex Bollando, Aymo., Beda, Vſuardo, Trith., Elſſio, Torellio ad ann. 654. & alijs.

ANnos ſi numeres, Infantis dixeris eſſe,
Vocem ſi attendas, Numinis eſſe putes.

ELO-

ELOGIVM XXVII

SANCTI MAXIMI BIZANTINI MARTYRIS.

LEMMA.

Maximus linguâ, & manibus ſub Conſtante Cæſare abſciſſus, Deo iterum vocem dante, articulatè, vt primò loquitur. Ex Herrera ad Annum 657. 13. Auguſti.

MAximus rerum magnitudine *maior*,
Quàm nomine;
Neſcis an pati maiora,
An maiora patrare meruerit.
Linguà poſt verbera, & cędes,
Sæuiente Pyrrho, reciſus,
Nouæ vſuram loquelæ recuperat,
Et abſciſſâ linguâ facundior
Pyrrhum denuò ſinè linguâ flagellat, & reprobat.
Legeram Verbum Dei liberum eſſe,
Sed quod liberius homines,
Linguà exſectà, redderent voces,
Auditum eſt primò.
Cygnus ſolitudinis dignus audiri,
Linguà deſciſcente prorupit in voces,
Et loquens æquè miracula, ac ſcribens

Non

Non Uerba, ſed Verbi tempeſtates eructat in impium.
Aut Verbum ergo loquens in Patribus
Sinè lingua loquètur in Maximo,
Aut nouę in Maximo
Sinè verbo locutæ ſunt linguæ.
Verbum, homo, vt loqueretur, factum eſt caro,
Uerbum, Maximus nè taceret,
Euaſit, & lingua.
Linguam ergò non detraxit, addidit Tortor,
Cum abſciſſà veteri linguà,
Nouæ in Maximo ſinè linguis auditæ ſint voces.
Alibi ergò, quam in linguà loquendi vis eſt,
Cum lingua in Tyranno ſit ſinè vocibus,
Et voces in Maximo ſint ſinè linguà.
Lingua ergo hæc Chriſtus eſt,
Cum linguà amputatà creuerit vox,
Et voces Maximi Chriſti ſint voces.
Sile calame.
Loqui Maximum ſinè linguà miraculum ſit,
Maius, de Maximo loqui,
Vel cum linguà, miraculum eſt.

CHRONOLOGIA.

MAximus Hæreſum Expugnator Byzantij naſcitur anno. 582.
Monachus ex Commentarienſi regio factus ſcri-

 bit

bit contrà Monothelitas. 640.

Cum Pyrrho publicè diſputat, & conuictum Chriſto lucratur. 645.

Monaſticam Auguſtin. ſectatur in Africà. 646.

Romam venit, & Martino Pontifici eſt Auctor, vt diris voueat Monothelitas. 649.

Calumnijs appetitus Bizantium ducitur. 650.

In exilium pellitur. 650.

Reuocatur ab exilio, & iterum mittitur. 656.

Diem morte victrici claudit 13. *Auguſt.* 657.

Agunt de Maximo omnes Græci in Menelog. Zonaras, Spondanus, Baronius, Elſſius, Marquez, & plures alij. Scripſit Vir Sanctus quam plura, quæ Romæ in Sfortiana, teſte Baronio ſeruantur authentica.

QVi docuit, Magnus, Maior, qui fecit habetur.
Et feci, & docui Maximus ergo fui.

E L O G I V M XXVIII

VENERABILIS ELOSINDÆ.

L E M M A.

Eloſinda impudicitiæ falsò accuſata, candens ferrum, vt ſe purget impunè tractat. Ex Antonio à Purificatione in Chronicà Luſitaniæ ad annum 791.

QVantum caſtitatis ingenium eſt?
Eloſinda impudicitiæ falsò *accuſata*,
Candenti vmbram criminis ferro caſtigat;
Et aurum velut examinatum, probatum ſeptuplum,
Approbatur, non deficit igne.
Horruit niuem pudoris flamma non noxia,
Et iuſtos olim vereri erudita;
Obſequijs Eloſindę, non pęnæ ſe ſubijcit.
Igne lucet nobile asbeſtum,
Et lucem non ardorem concipiens ignis,
Quò plus vritur, plus, & illucet.
Aut maior ergo intus eſt ignis,
Aut ſuæ ignis oblitus eſt flammæ.
Sponſæ manus Eloſindæ *myrrhà diſtillans*
Liquatur in niues,
Et interno calidior igne
Ignem vrit, non igne comburitur.

Illęſa olim nè puritas violaretur flamma non arſit,
Jllęſa nunc, vt ſeruetur, refrigerat flamma.
Ferrum fruſtrà Tortores incendere,
Igni præualet nix pudicitiæ,
Et veritate vbiquè victrici,
Sibi iniquitas mentitur, & vritur.
Pudicam ſenſit dexteram ferrum,
Et auro formoſius
Coronæ Eloſindę, non pęnæ deſeruijt.
Palluit ignis Victorię pręſcius,
Et feſtiuam conuerſus in flammam
Sponſæ lambit, non vſtulat manus.
Perge lector, & primò à fęmina diſce te vincère,
Jgnem, & tù aliquando vinces, & ferrum
Si primò te viceris.

CHRONOLOGIA.

Nihil Eloſindæ, niſi purgatio, & mortis in Domino memoria ſupereſt. Jllam Auguſtin. Ord. addixit Antonius à Purificat. Tom. 1. *Luſitaniæ ad ann.* 791.

PROGRAMMA.

Venerabilis Eloſinda Luſitana De Ordine Erem. D. Auguſtini. 2118.

ANA-

ANAGRAMMA.

Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me ini-
quitas. Pſal. 13. 2118.

EPIGRAMMA.

VXor, vt illeſi manifeſtet ſigna pudoris,
Tractat inoffensà ſæua metalla manu.
Præualet ardenti nix incombuſta fauillæ,
Nec potis eſt tantam ferre fauilla niuem.
Cur hodiè ſic ignis agit, ſic flamma timetur?
Ille idem eſt ignis, non tamen illa manus.

ELOGIUM XXIX
IOANNIS EREMITÆ.

LEMMA.

Ioannes parua, & imbecilli militum manu ſeptuaginta maurorum millia vno impetu effundit. Ex Antonio à Purificatione in Chronica Luſitaniæ ad annum 851. *Angelo Manrique ad annum* 1195.

ERudimini Principes,
Non armis *tantum* ſperanda,

Sed

Digitized by Google

Sed precibus impetranda Victoria eſt.
Ioannes paruo, & imbecilli militum cornù
Septuaginta Maurorum millia laceſſit intrepidus,
Et Cruce velut fulmine raptus in barbaros,
Cæſas ſuper cadauerum ſtrues
Trophæum erigit Chriſti Victoris.
Moyſes Iberus brachiorum extenſione orando pugnauit,
Et Cruce fortius, quam ferro percutiens,
Ligno occidit, quos enſe non cædit,
Exprobrare nomini Iſrael Mehemeti perfidia,
Exilire ſecura crudelitas, irridere piorum vota,
Sæua tormentorum minari, vel agere;
Cum Ioannes Numinis Vindex,
Minarum Contemptor,
Solus in acie ſtaret intrepidus,
Et ſolus Cruce ſinè armis orando confligeret.
Fruſtrà arcus curuabant Mauri,
Nemo ſpiculis læſus interijt,
Cum arma, & ſpicula Crux
In perfidorum refunderet capita:
Fugère vmbram Crucis partes aduerſæ,
Dum pugnam ſinè pugna conficeret timor,
Et nullo omnes perſequente conſulerent fugę,
Obliquè igitur, immò rectè pugnauit iniquitas,
Cum cæca pugnans in alios,
Suos ipſa arcus in ſe retorqueret.
Dimicatum de Cœlo eſt,

Cum

Cum Victoriam, nòn certamen oculi cernerent,
Et Cælo iterum voci Chriſtianorum *obediente*,
Ioannes vicerit, pugnauerit Deus.
Stellæ, flumina, aer ipſe,
Contrà barbaros pugnauerunt,
Et quam *ordinatè* pugnauerint vide,
De viuentibus nemo cecidit,
Et de victis nemo ſurrexit.
Didicit, auſpice Cruce, Chriſtianus vincere miles,
Barbarus vinci,
Et victum quamuis ſe viderit,
Adhùc potuiſſe ſe vinci non credidit.
Sola igitur pietatis arma vicerunt,
Cum vnus mille, armatos inermis,
Et robuſtos contriuerit *impotens*.
Erudimini pietate ad bella Principes,
Et ordinem à Ioanne pugnandi percipite.
Non armis ſperanda,
Precibus impetranda Uictoria eſt.

CHRONOLOGIA.

DE Ioanne præter victoriam, incerta ſunt omnia. Piè quieuit in Domino Ceyſſæ Diœcæſis Conimbric. anno 851. *Videatur Antonius à Purific. libr.* 2. *Chronicæ Luſit. Manrique ad ann.* 1195. *Britto libr.* 7. c. 13. *qui ſuis immeritò Ioannem adſcribunt, cum ſolum Ord. Ciſterc. in Hiſpaniâ cæperit ad ann.* 910.

Vnus,

Unus, ſi Numen velit, decem millia
Maurorum fugat, & ſi Numen velit,
Vnum non fugant Barbarorum millia.

ELOGIUM XXX

SANCTÆ COLUMBÆ, ET SOCIARUM MARTYRUM.

LEMMA.

Columba Abbatiſſa, vnà cum ſubditis, ſub Almanſorio Maurorum Tyranno, iugulata, martyrio fulget. Ex Antonio à Purificatione ad annum 990. Torello in Centurijs par. prima.

Columbam Ephraim, Lector,
Dementatam, & ſinè corde,
Inueniſſe ſi cogites, erras.
Canticorum Columba hæc
In petræ foramine ingemiſcere aſſueta
Aquilarum fortiſſimas vicit,
Et pullos, quaſi Aquila, ad bella corroborans,
Proh quam altè volauit, & vidit!
Imbelles fugiant Columbæ Serpentes,
Columba hęc purpuratæ Dux pudicitiæ,
Ser-

Serpentem aggreditur,
Et caput Colubri glorioſo veſtigio conterens,
Ramum in manibus,non oliuæ,ſed palmæ portauit.
Ubi ergo Serpentis inuidia?
Cum Victor fęminę, vincatur à fæminis,
Et qui fæminæ deuianti ludibrium erat,
Rectè ambulanti victoria ſit!
Draco Columbam, vt falleret,
In Serpente locutus eſt,
Draconem, Agnus, vt vinceret,
In Columbà eſt pręliatus.
Benè igitur Chriſto Viro Agni ſanguine dealbata
Copulari Columba debuerat,
Ut ſic inimicum Virgo Draconem,
Et Serpentem Columba proſterneret.
In Columba igitur Deus,
Cùm virum fæmina, Lupum ouis,
Et Draconem Columba calcauerit.
Quid ergo de protoplaſti veneno conquerimur?
Malè vitiorum cęno polluti
Carne, & ſanguine volutamur,
Atq; ideò miſeri fęminas admiramur,
Non imitamur.
Siſte lector, & noua poſthàc
Sapientię diſce Theoremata,
A Columba prudentiam diſces,
A Serpente ſimplicitatem.

COlumba Abbatiſſa cum ſubditis, debacchante in Luſitaniâ Almanſorio, propè Lamæcam in odium fidei, & pudicitiæ iugulatur. Vide Antonium à Purific. Herreram, Torellum, Elſſium &c. ad ann. 990.

PROGRAMMA.

Beata Columba Martyr., & Sociæ Erem. 1387.

ANAGRAMMA.

Quis dabit mihi pennas, vt Columbæ? Pſal. 54. 1387.

IMbelles, quod bella gerant, vincantque Columbæ,
Non ſatis eſt. Aquilæ bella Columba gerit.

ELOGIVM XXXI

SANCTI STEPHANI ARVERNÆ COMITIS.

LEMMA.

Stephanus ſanguine, litteris, & pœnitentia inſigniter Clarus, captiuos redimit, egenis ſubuenit, ſanitati reſtituit ægros. Ex Ioſepho Sabatino ad annum 1126.

AVla quid conferat,
Vbi vita ſepulcrorum nobilior eſt?
Aulà Stephanus derelictà, ſepulcro ſe condit,
Et auram funeris, vt vitæ trahens,
Vitæ primitias in ſepulcris orditur, & fruitur.
Victorem ſe non exiſtimans,
Ni primò ſe vinceret;
Æſtù, frigore, nuditate vitiorum
Deuinxit illecebras,
Nuſquam victor, niſi cum victus,
Nec liberior, niſi cum vinctus.
Pęnitentià homines terrens, alliciens Angelos,
Doctrinis opera illuſtrauit,
Operibus vitam;
Utràque mirabilis,

Vel cum Doctrinà ſe abſconderet,
Vel cum operibus ſe publicaret.
Venalis omnibus, vendi ſi poſſet;
Ærumnas aliorum credidit ſuas;
Et quà debilium corda,
Quà *nutantium* genù corroborans,
Captiuis manus, cęcis oculus, claudis pes,
Et languentibus brachium fuit.
In ſe barbarus, quod humanus eſſet in alios,
Eà in corpus tyrannide ſæuijt,
Quam barbaries nec voluiſſet.
Pęnitentiæ nunquam auidior,
Quam cum magis innocens,
Cum ſua in ſe punire non poſſet,
Alia punijt.
In hoc mirabilis, quod innocentiam puniret,
Vt lapſam;
In hoc amabilis,
Quod pęnitentiam foueret, vt integram.
Quò ad metam propius eſſet,
Eò velocius motum intendens,
Ità ſibi vni vacauit, ac ſi alios neglexiſſet,
Ità ſingulis, ac ſi ſe negligeret.
Virtutes tandem operans vbi vellet,
Et miracula vbi non vellet;
Cum vix durius viuere poſſet, mollius nollet,
Gloriam Domini in inaquoſo,

Et

Et Cęlos in ſepulcris apertos inuęnit. Anno 1126.
Redi lector.
Vni olim Stephano,
Saxorum inter procellas aperti ſint Cæli,
Alteri ſaxorum inter anguſtias,
Gloria Domini eſt reuelata.

CHRONOLOGIA.

Stephanus in Oppido Aruernæ inferioris ad Ligerim naſcitur ann. 1046.
Nouà, & auſterà viuendi regulà apud Muretum equeſtri annulo Chriſto ſe vouet. 1076.
Diem obit miraculis clarus 8. Febr. 1126.
Beatorum adſcribitur faſtis 30. Auguſti. 1189.
Agunt de eo Trith. Bollandus, Miræus, Crùſenius, Elſſius, & illum plures ex noſtris Auguſt. familiæ aſciſcunt.

Si mihi nobilitas deeſſet, prò ſanguine virtus,
Tunc mihi nobilior nobilitate foret.

ELO-

ELOGIUM XXXII

BEATI IOANNIS CIRITÆ.

LEMMA.

Ioannes nè à Venere vratur, brachium tandiù ſibi vſtulat, quandiù Venus extincta ſit. Ex Cruſenio parte ſecunda cap. 19. *ad annum* 1123.

ERemi Scæuolam
In Ioanne mirare Viator,
Et quo igne ignes extinxerit vide.
Caſtiſſimus Daniel
Inter feras impunè recumbens
Ferale Veneris præſentit incendium,
Et quà, ſe liberet, neſcit, incendio.
Quid faciat? aqua extinguet?
Sed aquis oritur, non moritur Venus.
Cilicio, lacrymis?
Sed turpis alitur inter ſordes, & lacrymas amor.
Vulneribus, ſanguine?
Sed reuiuiſcit, non *ſecatur* vulneribus Hydra.
Quid faciat? ignem, inquit, igneus animus
Igne comburam,
Nec morà læuam in ardentem proijciens rogum,
Hæc,

Hæc, ait, decent Venerem ſtrata,
Ignem Chriſti ſeruabunt hę niues,
Tutus erit in igne candor,
Et prunas inter, ac cineres
Germinauerit Flos pudicitię.
Ità Fortiſſimus Iuuenis igne deſuper eruditus
Nouo ſe ſtratagemmate Uicit, & Venerem,
Ità flammà eàdem cupidini rogum,
Sibi triumphum, caſtitati trophæum erexit.
Redi lector, *& ignem hunc abſconde, ſi ſapis.*
Non vrèris, ſi ſic vrèris.

CHRONOLOGIA.

IOannes, *à S. Bernardo* Deſideriorum Vir appellatus, *naſcitur ann.* ooo.

Sæculari relictà militià ſpirituali ſe vouet. 1120.

Cœnobium moderatur S. Chriſtophori De Foes in Luſit. 1123.

Familiares à S. Bernardo epiſtolas accipit, & primus omnium in Hiſpanià vnà cum ſuis Ciſtercienſium voto ſe obſtringit. 1133.

Diem plenus prophetiæ ſpiritù clauſit 23. *Decembris.* 1164.

De Ioanne cum laude ſcripſerunt Bernardus Britto Ciſterc. libr. 2. *c.* 2. *Manrique, Hieronymus Romanus, Herrera, Cruſenius &c. Additque Britto apud Torel-*

lium

Digitized by Google

lium ad ann. 546. plura Auguſt. Ordinis Monaſteria in Hiſpaniâ, & Luſitaniâ ſub Ramiro Legionenſi ad Inſtitutum tranſijſſe Benedictinorum.

PROGRAMMA.

B. Ioannes Ciritta Ord. Erem. Sancti P. Auguſtini. 1349.

ANAGRAMMA.

In Igne purgatur aurum. Eccli. 2. 1349.

EPIGRAMMA.

IMproba Ciritæ cruciat dum flamma medullas;
Abſtulit arma focus, contulit arma focus.
Excutit immanem rediuiuus Scæuola flammam,
Accenſo, & tradit brachia læua rogo.
Ars noua vincendi Venerem, vis vincere? flammis
Vrere, ſic flammis friget aduſta Venus.

ELO-

ELOGIVM XXXIII

SANCTI MALACHIÆ EPISCOPI CANNORTHENSIS, PRIMATIS HIBERNIÆ.

LEMMA.

Malachia innocentiâ, & ſignis illuſtris Hiberniæ gentem humanam reddit. Ex Ioanne Marquez cap. 15. §. 4. ad annum 1148.

BArbaro Malachia nutritus in *populo*,
Nihil tamen de barbarie attraxit in opere.
Infans annis, meritis ſenex;
Prudentiam ſenis in pueritiâ,
Pueri ſimplicitatem oſtendit in ſeniô.
Iactent alij ſe præceptores,
Et diù doceant, quæ non intelligunt;
Malachia à Deo doctus
Eſſe tunc omniũ Diſcipulus cępit, Pręceptor vt fuit.
In ſe durus, quod indulgens eſſet in ſingulos,
Humanitatem, quam daret alijs eripuit ſibi.
In hoc magnus,
Quod tantâ in barbaris præluceret humanitate.
In hoc maior,
Quod in tantâ humanitate

Tanta copulari Diuinitas poſſet.
Blandè ſeuerus vbi opus eſſet imperio,
Seuerè blandus vbi opus eſſet obſequio,
Regum iras aut extinxit, aut deliniuit,
Et rebelles imperio retrahens, miraculis terrens,
Incertum fecit, an plures imperio expugnauerit,
An lenitate.
Uirtutum lumina in alijs publicans,
Occultans in ſe,
Eò neſciens præcucurrit, quò nemo venit,
Eò venit, quò nemo cucurrit.
Æquè ſingulis prodeſſe deſiderans, ac nulli pręeſſe,
Lucrum Chriſti ouium fecit,
Et forma gregis factus ex animo,
Inter Lupos intrepidus Paſtor,
Agnus inter oues mitiſſimus fuit.
Virtutes, vt ſereret eradicans vitia,
Barbaros, vt erudiret, legibus ſepſit,
Et Sanctum ſeminans in terrà non Sanctà,
Hiberniam omnem *inuènit* barbaram,
Reliquit humanam.
Ità Deo magis, quam homini ſimilis,
Cum vltrà in terris conuerſari dignè non poſſet,
Indignè nollet,
Patriam veram, & pallium,
Quod quærebat in Cęlo reperit.
Anno 1148. 3. Nouembris.

Uerè

Verè in omnibus *Malachia*,
Qui ſe hoc tantum oſtendit hominem,
Quod mori poſſet.

CHRONOLOGIA.

Malachia genere Hibernus naſcitur ann. 1094.
Tondetur in Monachum. 1118.
Sacerdotio initiatur. 1119.
Creatur Epiſcopus Cannort. & diſciplinam reſtituit morum. 1124.
Romam prò Apoſtolatù, & pallio petit, & honorificè ab Innoc. II. excipitur. 1137.
In Cænobio Claræuallis migrat ad ſuos 2. Nouembris. 1148.
Agunt de Malachiâ Torellius, Elſſius, Marquez c. 15. §. 4. & alij. Iacet Claræuallis cum hoc Epitaphio, quod à Bernardo compoſitum omitti non debet.

EPITAPHIVM.

Scire cupis, quiſnam iacet hic? Dominus Malachias.
Hæres quis fuerit quærere pergis adhuc?
Hibernus Patriâ, meritorum munere Sanctus,
Celſus prodigijs, Præſul honore fuit.
Accumulauit onus ſupremæ legatus Sedis,
Romam ibat: ſed ab hinc carpit ad aſtra viam.

ELOGIUM XXXIV

SANCTI VVILELMI AQVITANIÆ DVCIS.

LEMMA.

VVilelmus abiecto ſæculo, & ſceptro, lorica eadem, & galea, qua Pontificem diù vexauerat, diù ſe cruciat. Ex Genebrardo ad annum 1156.

VVIlelmus,
In quò vno ſuum conſumauit aculeum culpa,
In quò ſuas pænitentia vires oſtendit;
Ignores vbi peccare deſierit, aut pęnitere.
Prima rudimenta vitæ nè quæras,
Puduit ſcribere, pudebit, & legere.
Meliori à Bernardo redditus frugi,
Pęnitentià facilè vicit,
Quæm æquare doctrinà non potuit.
Bellator inclytus veram à timore ſpem auſpicatus,
Sceptro ceſſit, cum ſceptrum nouit.
Regno non ideò exauctoratus
Regno, quod cederet;
Regnum verius cum amiſit, tunc acquiſiuit.

Pæ-

Digitized by Google

Pænitentię tarditatem, grauitate pęnæ compenſans,
Quod inſipiens culpà contraxit,
Sapientior pænà deleuit.
Citrà Carnificem Martyr,
Ea in ſe tyrannide ſęuijt,
Quam Tyrannus nec voluiſſet.
Coronam malens amiſſam quęrere,
Quam dimiſſam recuperare,
Voces amicorum audiuit, vt fugeret,
Inimicorum, vt probaretur.
Diù ęquè pulſatus, ac pulſus
Dæmonum potuit odia tolerare,
Non Hominum iras.
Exilium ſæpè mutans, animum nunquam
Conſtantem ſe æquè oſtendit, ac contumax fatum.
Nuſquam conſtantia fortior,
Conſtantior nunquam fortitudo credita eſt.
Nullę obumbrent nubes olympum,
Olympi huius amænitas,
Quò Cælo proprior,
Eò à nubibus remotior fuit.
Omnium *Seruus*, quod ſui Dominus,
Fortunà vbique diſſimili,
Vultù vbique ſimillimus fuit.
Emeritus in Eremi Gymnade Athleta
Refractarios animi motus allidit cum iuſtè,
Et collidit iniuſtè cum ſurgerent.

Ducem

Ducem ſe vbique diſſimulans,
Ut ſe vbique ſubderet ſibi;
Omnium Dominus eſſe cœpit,
Cum ſui Tyrannus.
Hoſte deficiente, quem vinceret,
De Hoſte ſecurus;
Nobiliori victoria,
Quod reliquerat ſceptrum inuenit.
Anno 1156.
Diſce lector, & Tù poſt culpam de pœna recogita;
Cui enim ità cum VVilemo peccare licuit,
Jtà etiam pœnitere neceſſe eſt.

CHRONOLOGIA.

VVIlelmus primum Aquitaniæ, & Ordinis decus in Gallia naſcitur, ann. 1099.
Anacleti ſchiſma defendit, & Innocentio IJ. ſe opponit. 1133.
Increpatur à S. Bernardo, ſed fruſtrà. 1135.
Reſipiſcit, & regno ſe abdicat. 1136.
Compoſtellam Galeciæ tendit, & abijſſe vulgatur à ſuis. 1137.
Hieroſolymam pedeſtèr accèdit. 1151.
Italiam repetit, vbi miraculis clarus, & pœnitentià diem claudit in agro Senenſi 10. *Febr.* 1156.
Sanctorum faſtis ab Innoc. III. adſcribitur. 1202.

VVilel-

UUilelmum, Bollando quamuis contradicente, Auguſt. familiæ adiudicant Angelus Manriquè Ciſterc., Samſon Haius, Genebrardus, Nauclerus, & plures alij, quorum argumenta producunt Ioſephus Sabatinus in Uindicijs Auguſtin. lib. 2. c. 9. Torellus ad ann. 1137. *Caualcantius, Bergomenſis, Herrera, Marquez, Cruſenius &c.*

EPIGRAMMA.

VUlnera dum ferro lanias, & membra UUileme,
Deformi ò quantum pulcher in ęre micas?
Obryzo lucet clypeus formoſior auro,
Æthereo, & fulget clarior igne chalybs.
Quid Cęlo clypeus ſplendet, quid Orionis enſis?
Ambiat hoc potius ſydera cilicium.

ELOGIUM XXXV

B. IOANNIS BONI MANTVANI.

LEMMA.

Ioannes, vt Venerem vincat, calamis ſibi arundineis vngues infigit. Ex Herrera ad annum 1249.

NOn arundinem vento agitatam,

Sed

Sed quercum Chriſtianam mirare Viator;
Quę contrà ventorum impetum ſemper immobilis,
Quò magis agitur, magis, & *figitur.*
Ioannes *ſuà verè in ærumnà confixus,*
Dum figitur ſpina,
Ungues ſibi arundineo ſtylo transfigit,
Et vt Uenerum vincat illecebras,
Pudoris nouo tormento,
Secretas Veneris eludit inſidias.
Athleta inclytus *armis digitorum*
Inſtructus ad prælium; palmę præludit;
Et ſagittandi vbiquè doctiſſimus,
Hoſtem vincit non ferro, ſed calamo.
Sua alij ſtylo ferreo, vngue adamantino
Trophæa deſcribant,
Iobus iſte
Atramento non vllo, quam ſanguine,
Papyro, quam Carne,
Pænas ſuas enarrat, & patitur.
Certamina hæc quoque Tù æmulare Uiator;
Et diſce non alibi lilia hæc naſci,
Quam inter ſpinas.

CHRONOLOGIA.

I*Oannes* ſepium ędificator, *ac primus Ordinis in Italia Reſtitutor Mantuæ ex Buonbuomi fa-*
milià

milià naſcitur ann. 1168.

Adoleſcentiam in cæno perdit. 1188.

Reſipiſcit, & ſua omnia profundens in pauperes tondètur in Monachum. propè Ceſenam. 1204.

Plurimos Auguſtini Monaſticæ acquirit, inter quos etiam S. Franciſcum Minorum poſteà Inſtitutorem. 1207.

Rauennatum bella componit. 1225.

Iuſsù Angeli Mantuam repetit, & paulò poſt obit 23. Aprilis. 1249.

Iacet Mantuæ corpore adhuc integro, & incorrupto, vbi cultum publicum habet. De eius nimià abſtinentià, & ſignis agunt S. Antoninus Florent. Ferrarius, Bzouius, Petrus de Nat. Sabel. Vſuardus, Faſti Mariani, Tabulæ Martyrolog. ad 23. Octobr. & omnes noſtri.

PROGRAMMA.

Beatus Ioannes Bonus de Mantuà Ordinis D. Auguſtini. 2398.

ANAGRAMMA.

Confixus ſum in ærumnà meà, dum configitur ſpina. Pſal. 31. 2398.

ME Veneris quamuis infixa heù ſpina cruentet,
Non habet hac ſpina durius vlla Venus.

 ELO-

ELOGIUM XXXVI

BEATI NICOLAI BANDINELLI ILLICETANI *SILENTIARII.*

LEMMA.

Nicolaus Seuerioris pænitentiæ cultor inſignis, quem flagello adhuc in dextrà, & læuà ad labra ſuppoſità, quaſi ſilentium indicentem, pia Pictorum ſedulitas fingit. Ex Herrera ad annum 1228.

C*Aue etiam, & tù lector hic*
A ſalutantibus de ſilentio,
Vbi Harpocrates Chriſtianus
Sapientiæ ſcholam aperiens,
Suos adhuc *auditores ſilentio inſtruit*,
Et loquentes flagello compeſcit.
Rethor nouus in ſchola Crucis
Omni ſugillata verborum paraphraſi
Alloquitur ſenſibus,
Et quò plus tacet, *loquitur plus*.
Sublimis animus
Speculator Iſrael factus requieuit in ſomno ſuo,
Et turbà exterius terrenorum ſilente verborum
Æternum intus aut concepit, aut peperit verbum.

Ado-

Adoleuit doloris ingenio,
Cum ętate ſilendi facundia,
Et Sanctorum lumine adulta,
Non ſe ad Pythagorę faſtum,
Sed ignominiam extulit Crucis.
Loqui alijs, & *lætari* ſolatium ſit,
Bandinello cum ſilentio præſtolari,
Et lugere fælicitas eſt.
Doctor exthaticus concentu vbique raptus aſtrorũ
Solitarius ſedit, & *tacuit*;
Et dum foris homini tacuit,
Totus intus locutus eſt Deo.
Extulit ſe, ſuprà ſe Scrutator aſtrorum,
Et nouas ſibi in ſyluis ſolitudines fabricatus,
Vah quot ſilendo diſſidia,
Et tacendo reſtinxit incendia?
Redi lector
Et tacendi à Bandinello rethòricam diſcens,
Tace, vt diſcas, addiſce
Ut taceas.

CHRONOLOGIA.

NIcolaus ex familià Bandinellà naſcitur Senis circà ann. 1190.
Tondetur in Monachum, & *Illiceti cum Franciſco Se-*

Seraphico habitat. 1212.
Aſceterium Montis ſpeculi moderatur. 1228.
Obit ſanctiſſimè Illiceti 4. Aprilis. 1250.
Agunt de illo cum laude Faſti Senenſes, Landucci, Cruſenius p. 3. c. 13. & alij.

PROGRAMMA.

Nicolaus Bandinellus Senenſis Or. Eremit. 1568.

ANAGRAMMA.

Bonum eſt præſtolari cum ſilentio. Thren. 3. 1568.

PLurima ſcripſiſſem de Tè, ſed ſcribere plura
Dum volo, Tù digito plura tacere iubes.

ELOGIVM XXXVII

B. PHILIPPI DEXTRI PARMENSIS GENERALIS MAGISTRI ORDINIS.

LEMMA.

Philippus virtutum vndique odore notiſſimus Bononienſe Cænobium extruit, Ordini datur in Præſulem, exemplo ſubditos, & verbo componit. Ex Herrera ad ann. 1256.

P*Armà non inglorius albà Philippus*
Urbi aras, Eremo Colonias,
Sanctitatem reſtituit Templis.
Virtuti affinis, & collactaneus
Illam neſcis an à naturà acquiſierit,
An ab induſtrià,
Cum vix in ipſo à naturà differret induſtria.
Eremi ardua feſtinante merito emenſus,
Virtute traſcendens,
Qualis inter homines eſſe deberet, à feris didicit.
Tardus ad loquendum, tardus ad iram,
Æquales merito, fama Maiores,
Vniuerſos honore *præcelluit.*

Par-

Parmam ſe immeritum credens,
Niſi *laurus* vbique demeteret,
Eremi arundines, *ad Cedros* Dei,
Et ad Mare propagines duxit.
Habenas ordinis moderatus,
Se murum Vrbi, Orbi ſe columen,
Se columnam Eremo ſuppoſuit.
Nemo mitius illo proſperis,
Nemo illo fortius aduerſis eſt viſus.
Idem vtriſque,
Proſpera non amauit, cum dextera incederent;
Aduerſa non timuit, ſiniſtra cum ruerent.
Juuandi cupidus, nocendi non capax,
Cum amari ſtuderet ab omnibus,
Contemni à nullo meruit, à nullo non diligi.
Nemo illo grauior, nemo quoquè amabilior fuit.
Cum timore pręcipere aſſuetus,
Parère cum gaudio,
Sui ſingulos,
Se ſingulorum delicias fecerat.
Sibi durus, ſubditis lenis
Temperauit amore pænas,
Et pænam toties ſumpſit,
Sumere quotiès coactus eſt pænam.
Jn honorum culmine humilior,
Habitù inter Infimos Primus,
Sensù inter primos infimus fuit.

Obli-

Oblitus tempora, quod ſtuderet ęternitati,
In Cælo, ſuis, verſabatur, vt eſſet auxilio,
In Terris videbatur, vt eſſet exemplo,
Legem ſcientià dirigente, non zelo ſcrutatus,
Noua anatome charitatis,
Onus ſubditis alleuauit, impoſuit ſibi.
Philippo deniquè ſimilis,
Tempore maior, æuo *maturus*,
Hinc non migrauit, translatus eſt.
Anno 1256.

CHRONOLOGIA.

Philippus Dexter, ſiue Parmenſis naſcitur ann. 000.
Primus Bononienſe Cænobium extruit. 1177.
Romæ Ordinis Generalis inauguratur. 1248.
Obit eximię ſanctitatis, ac zeli Vir *teſte Henrico de Vrimaria.* 1256.
Egit de illo Cruſenius p. 2. c. 24. Herrera, Pamphilus &c.

ME vt Nemo dextris vnquam fęlicius vſus,
Nemo ità dexterius fata ſiniſtra tulit.

ELOGIUM XXXVIII

BEATI LANFRANCI SEPTALÆ PRIMI ORDINIS GENERALIS POST VNIONEM.

LEMMA.

Lanfrancus Mediolani nobilitèr naſcitur, Bononiæ ſtudet, Monaſticam induit, ſanctè Præfecturam Ordinis gerit. Ex Herrera ad annum 1264.

Q*Vieſcentium Septala primitiæ*
Vrbi lætitiam,
Solitudini inuidiam fecit:
Familię laudem alienam, ſuam non credens
Illi addidit, de ſuo dum addidit.
Sapientię non ſibi natus
Litterarum Magiſtram Urbem
Æquè ac pietatis diſcipulam reddidit,
Vtràque eloquens, ſeù taceret, ſeù loqueretur;
Tacendo plus profuit,
Quod exemplo, non verbo proficeret.
Primum ratus Sapientiæ Principatum,
Victoriam ſui,

Ini-

Inimicum primò ſe inſpexit,
De quo triumpharet.
Ad primum Ordinis gradum
Per omnes Sapientiæ gradus euectus,
Vota æquauit antiquorum, dum poſteros vidit,
Antiquos ſuperauit, dum poſteros vicit.
Paſtorem ſe non exiſtimans,
Niſi omnium ferret anguſtias,
Sui aliorum calamitatem;
Se aliorum ſolatium fecit.
Amari appetens, metui timens,
Timore neminem, vniuerſos amore corripuit.
Citrà mendacium Atlas
Eremo humeros cadenti ſuppoſuit,
Et vtraquè faciens vnum,
Orbem Eremi, Eremum Orbis Coloniam poſuit.
Nemo charius ſe dilexit, vt gregem Lanfrancus,
Nemo mitius obediuit, ac ille *præcepit*.
Omnes Protheus animorum conuerſus in formas
Ità ſuos amauit, vt Pater,
Ità honorauit, vt Vernaculus dici potuerit.
Legum factor, non Inſtitutor
A ſubditis ea ſolum, quæ fecerat voluit,
Cum quidquid faceret, præſcriberent leges.
Nunquam ſanctior ſolitudo,
Nunquam Eremus fęcundior fuit.
Omnes, vt ſibi ſubijceret, cuique ſubiectus

 Nul-

Nullius ſterile verbum,
Nullius vacuum ſenſit obſequium.
Nemo rigidum, dum puniret,
Nemo mollem, dum parceret dixit.
Vnus omnes pietate ſimili diligens,
Conſilio regens,
Eremo orbem, Eremum orbi ſimillimam fecit.
Eremo vtilis, dum orbes acquireret,
Fidelis orbi, dum Eremum non derelinqueret.
Verus ita Plantator ſepium
Vltrà non habens, qua vetera reſtauraret,
Conderet noua, deceſſit anno 1264.
Incertum de Eremo magis,
An de Empireo benemeritus,
Niſi totus Eremo natus,
Totus eſſet Empireo datus.

CHRONOLOGIA.

Lanfrancus Mediolani nobilitèr naſcitur ann. 1201.
Bononiam ſtudiorum causâ contendit, & Monachum induit circa. 1220.
Bononiæ Prior extra muros inauguratur. 1249.
Bononiæ Congregationi B. Ioannis Boni præficitur. 1252.
Romæ ad S. Mariam de Populo, Ricardo S. Angeli Præſidente, & primo Ord. Protectore, Generalis renunciatur 9. Aprilis. 1256.

Vi-

Viuere deſiit Vir immortalis Mediolani ad S. Marcum, anno ætatis ſuæ 63. regiminis 12. 1264.

Ubique apud Bonos remanebit Lanfranci memoria, tum quia ruinas antiquas abſtulit, & diſperſa collegit in vnum; tum quia noua Ordini indulta, & Aſceteria vbique, vel erexit, vel acquiſiuit. Videatur Bullarium Ord. Cruſenian p. 3. c. 1. Robertus in Gallia Chriſtiana, Herrera, Torellus, & alij.

BEati Ordinis quinque, & viginti, Lanfranco moderante, in viuis agunt. Ex Marquez. c. 18. 11.

EPIGRAMMA.

INuia Deſerti me floret, floret Eremus,
Et radiat circum me diadema Patrum.
Curuentur Stellæ Ioſeph; curuentur ariſtæ,
Curuant ſe Soli ſydera, & iſta meo.

ELOGIUM XXXIX.

BEATI VITI HVNGARI.

LEMMA.

Vitus in tumulo, ſui tantum cadaueris tactu, nouæ mortuum vitæ reſtituit. Ex Pamphilo ad annum 1297.

VItæ impoſterum,
Aut morti quis credat?
Vno hoc tumulo, amico certamine,
Vita *pugnant* ſimul, & mors;
Imò nouum, *inimicà morte* deſtructà;
Mors, & vita connubium iungunt;
Et tamen quid tàm contrarium vitæ, quàm mors?
Exierit cibus olim de comedente,
De Forti dulcedo,
Amica antitheſi nunc, *ex oſſibus vita,*
De Cadauere exiuit, & ſpiritus.
Pullulauerunt Viti è cinere Vitę noualia,
Et licet *exterior* Homo ſit mortuus,
Interior adhuc in tumulo,
Aut viuit, aut vegetat.
Nauis inſtar poma portantis

Tran-

Tranſière Viti labores,
Et bonum vndique diffuſurus *odorem Chriſti*
Uitæ *nutrit in pyra primitias.*
Totus ergò ille non obijt,
Cum vel animus fato ſuperſit;
Vel è Cælo cineri aſſiſtat,
Vel è tumulo informet ad vitam.
Ubi ergò peccati lex?
Cum abſorpta mors in Victoria Vito ſe dederit,
Et Uictori ſubdiderit faſces.
Falcem fruſtrà mors exacuerat;
Suo ille vincens in tumulo fato ſe oppoſuit,
Et vitæ vindex
Eodem vitam in funere contriuit, & mortem.
Vbi ergò mortis aculeus?
Cum tactù mors terrefacta pepercerit vitæ,
Et cum vità pepigerit fędus?
Vita ergò hic Chriſtus eſt;
Cum vel morte abeunte, redierit vita,
Uel redeunte in Vito,
Charitate, redierit Chriſtus.
Perge lector, & diſce poſt hàc
Benè ſerere, benè colligere,
Nam qui in carne ſeuerit mortem,
Et qui ſpiritù metit, & vitam.

CHRO-

CHRONOLOGIA.

VItus Regio Sanguine clarus Uaradini in Hungaria natalem habuit. Fuit Uir claræ, & eximiæ ſanctitatis, teſte Henrico de Vrimaria; imò in omni genere virtutum perfectus, & excellentiſſimæ humilitatis, v. in Chronica Ordinis ſcribit Oroſcus: Cruſenius addit non ſemel totam Pannoniam à contagio liberaſſe. Obijſſe creditur circà ann. 1297. Uideatur Bzouius, Herrera, Cruſenius p. 3. c. 8.

PROGRAMMA.

B. Vitus Hungarus Ordinis Er. Auguſtini. 2250.

ANAGRAMMA.

Mortuum prophetauit corpus eius. Eccli. 48. 2250.

EPIGRAMMA.

HAc Uiti Quiſquis, tumulari credit in vrnà,
Aut ſcribit oſſa, deſipit.
Viuit adhuc tumulo Uictor, vitæque ſuperſtes
Prophetat ille mortuus.

ELO-

ELOGIUM XXXX

S. NICOLAI TOLENTINATIS.

LEMMA.

Nicolaus è ſterili naſcitur, Chriſtum in altari Puerulus videt, Dęmones vincit, ieiunijs viuit, miraculis fulget. Ex Surio ad annum 1305.

NIcolaus
Primum, & vltimum Eremi miraculum,
Miraculo cæpit, miraculo creuit, miraculo deſijt.
Patriam æquè Angelorum ſortitus, ac indolem,
Habitù, vt Homo, puritate repertus eſt Angelus.
Humana à puero,
Vel patrare, vel pati detrectans,
Diuina, quæ in Patria comprehenduntur,
Apprehendit in via.
Decennis aſpera Deſerti tranſiliens
Statim qualis eſſe debuerit
Oſtendit, aut fuit.
Omnes ità virtutes amplexus,
Ac ſi ſingulas non haberet,
Vnde, omnes deſinunt, cæpit,

Vbi nemo deſiuit, incæpit.
Admirabilis ſigna ſi faceret,
Mirabilior niſi feciſſet;
Signorum copià,
Vilitatem miraculis fecit.
Nuſquam puritas abſtinentior,
Nuſquam purior abſtinentia viſa eſt.
Vbiquè ſiuè cæderetur, ſeù cæderet Victor,
Quinquaginta annorum pugnà,
Inedià Venerem fatigauit, conſtantià Dæmonem.
Nemo illum adijt malus, quin bonus abierit,
Nemo bonus, quin melior exierit.
Nullis, niſi charitatis obnoxius curis,
Suis aliorum ieiunijs famem,
Vigilijs quietem, libertatem ſeruitio emit.
Pauli amore *mærens* in omnibus,
In ſingulis gaudens;
In copia *mori*, in inopia didicit viuere.
Culpæ vbi erat ignoſcens, & agnoſcens vbi non erat,
Candori maculas, puritati timuerat noxas.
Verborum parcus, prodigus rerum,
Doctrinæ parum, exemplo multum,
Actioni tribuerat totum.
Nullius illo audiente, frigidum verbum,
Nullius, irritum fuit obſequium.
Spectari dignus, quo ſpectante, ſteterat Cęlum,
Audiri dignus, quo orante, ſiluerat Terra.

Jn-

Infelix Europa, ſi ſuæ defuiſſet hic Angelus paci,
Vnus omnibus,
Pacem Terris, victimas Cælo,
Pietatem reſtituit aris.
Idem Orbem fulcire, ne caderet,
Cęlum idem rogare, ne obrueret,
Idem Terram, ne obrui vellet.
Redi lector,
Et quò Nicolaus occubuerit fato ne quæras,
Audiuit, vidit, amauit,
Et amore confectus interijt
Anno 1305. 10. Septembris.
Totus tamen omninò non obijt.
Viuit ille adhuc in ſanguine,
Viuit in panibus,
Viuit apud Italos, vt ſit exemplum,
Apud Græcos, vt ſit auxilium,
Apud Barbaros, vt ſit patrocinium.

CHRONOLOGIA.

Nicolaus primum Ordinis luminare apud Picenos in Caſtro S. Angeli naſcitur anno. 1249.
Septennis Chriſtum videt in hoſtia. 1256.
Annorum decem Auguſtini Monaſticam induit. 1259.
Vota Deo ſolemnitèr vouet. 1264.
Macerata, Firmi, Piſauri habitat vſque ad ann. 1275.

Q *Trans-*

Translationi Lauretanæ Domus interfuit. 1294.
Diſſolui cupiens, & eſſe cum Chriſto obit Tolentini 10. Sept. 1305.
Sacra eius brachia à corpore reciduntur, & reciſa ſanguine fluunt. 1345.
Sanctorum Catalogo ab Eugenio IV. inſertus 8. Iunij. 1446.
Ex Bulla Canonizationis, Mombritio, Surio, Antonino, & alijs. Errauit Elſſius, & Herrera, qui illius natalem ad annum 1246. *ponunt; Baronius, & Spondanus, qui obitum ad ann.* 1306. *extendunt, & Pennotus, qui Canonicum Regul. fuiſſe contendit, cum decennis, ex Bulla eiuſd. Canoniz. Ordini Eremit. dederit nomen.*

PROGRAMMA.

Sanctus Nicolaus Tolentinas Eremitanus. 1953.

ANAGRAMMA.

Hic eſt, quò multum orat pro Populo Dei.
2. *Machab.* 15. 1953

NIl opus eſt nobis eius portenta referre
Morborum circa omne genus, circum aera, circum
Fortunas, & ſata hominum contraria, circum

Æquo-

Æquora. Nam Diuum nemo eſt, qui pluribus vnquam
Claruerit ſignis, à tempeſtate Recentum
Chriſtigenum fidei, qui fundamenta fuerunt
Tempus ad hoc; nec habent eius miracula finem.

Ex Baptiſtà Mantuano lib. 3. in eius vita, & meritò, tanta enim miraculorum glorià fulſit, vt tercentum ſupra miracula ritè, & ordine, vt loquitur bulla, ab Eugenio ſint approbata. Surius addit opus eſſe Calamo Scribę Domini ſcribentis velociter ad illa ſcribenda, nam vt minimum, ànnis ſupra viginti in Nicolao, perpetuiſque diebus; innumera miraculorum genera fecit is, qui facit mirabilia ſolus, hęc ille.

ELOGIVM XXXXI

BEATI PETRI EVGUBINI GALLIARVM REFORMATORIS.

LEMMA.

Petrus Eugubinas fratribus hymnum Ambroſij, & Auguſtini in Choro cantantibus, alternatim reſpondet è tumulo: Ex Herrera, Elſſio, Cruſenio ad annum 1306.

A*Cerba eſſet olim in luctù muſica.*

Nunc in ſepulchris, vt in conuiuio ſuauiſſima eſt.
Petrus aſtrorum concentus,
In ſepulchris æmulaturus,
Inter cadauerum aggeres,
Nocte intempeſtà conſurgit hilarior,
Et vtroque genù procumbens,
Cantantium Choro alternatim reſpondet è tumulo.
Sciebam, quod iuſtorum in Cælo Spiritus,
Laudes Agno cantarent, & Sponſæ;
Sed quod in tumulis mortui
Alternis cum viuis decertarent in terra carminibus,
Auditum eſt primò.
Eremi Luſcinia
Peritia in ſua modis muſicis eruditus,
Diem omnem tranſegit in canticis,
Et benè cum in Vita cantare didicerit,
Conticère neſciuit in morte.
Cantor noctium, impetu amoris,
Suſcitatus à ſomno ſuo
Erupit in carmina,
Et amicam Sponſi ſecutus
Nouum ſodalibus ſuis propinauit *è canticis Syon.*
Errant ergò, qui planctù horridam,
Et deformem autumant mortem,
Cum ità Petri dulcedine mortuorum
Canora ſint Organa.
Vbi ergò Victoria mortis?

Cum

Cum Petrus in *ſepulchris obliuionis* illuſerit morti,
Et cum viuis tàm benè cantauerit?
Ità Seraphim alter ad alterum decantarent,
Cantare ſi poſſent.
Ità Cherubim morerentur, ſi mori contingeret.
Ne impedias muſicam lector,
Et qui Petri æmulari deſideras cantum,
Proſequere, & planctum.

CHRONOLOGIA.

PEtrus Italus natione, genere Vmber Eugubij naſcitur ann.	000.
Peruſiam ſtudiorum causà ſe confert,	000.
Tondètur in Monachum circà.	1250.
Ordinis Reformator ad Gallos mittitur,	1256.
Quieuit in Domino Homo maximæ orationis, & patientiæ, *teſte Henrico de Vrimaria*, 23. *Martij.*	1306.

Eugubij in Eccleſià Ordinis iacet, & publicè colitur. Vide Iacobillum de Sanctis Vmbriæ, Bollandum, & noſtros.

QVoties mali aliquid Eugubio imminet, Petrus ad hãc Vſque Diem, ſuo pulſare auditur in tumulo.

EPIGRAMMA.

AVditis? gelidà quamuis cineſactus in Vrnà,
Ad lacrymas Vrbem Petrus, & iſte vocat.
Sunt Domini voces, nix, grando, tonitrua, fulgur;
Et quoties pulſat nuntiat illa Petrus.
Ergo age, qui Cæli flammas, & fulmina ſpernis;
Et dic, eſt Chriſti dextera, dextra Petri.

ELOGIUM XXXXII

BEATÆ CLARÆ À MONTEFALCHIO.

LEMMA.

Crucifixus in corde Claræ ſe, & ſingula Paſſionis myſteria imprimit. Ex Herrera. Ad annum 1308.

AScende, & tu ad Montem iſtum Viator,
Et vide qualibus literis
Non manù homiuis, ſed manù, & digito ſuo,
Se in corde hoc exculpſerit Chriſtus.
Poſtrema hæc Uerbi patientis editio eſt,
Quæ ab omnibus ſcitur, & legitur,
Sed quò plus ſcitur, plus ignoratur;
Dum quò plus legitur, minus, & ſcitur.

Lu-

Digitized by Google

Luſerit Sapientia Dei cum homine
Naſcens è Virgine,
Nunc in Virgine crucifixa,
Tractandam ſe proponit hominibus,
Vt qui Imaginem Chriſti corrumpunt in ſe,
Illam non atramento,
Sed ſanguine, carne, non lapide
Reſtauratam mirentur in Clara.
Exthaticus Spiritus Chriſto affixus, & ipſi Chriſtus,
In *illius*, qui Uerè eſt migrauit imaginem,
Et ſuam æquè formans, ac baiulans Crucem,
Verè media charitate,
Reclinatorium Triadi aureum,
Chriſto aſcenſum purpureum fecit.
Paſſi hęc amoris parelia ſunt,
Dum nouo ſemper incenſurus homines igne,
Sua vbiquè
Vel inſcribit, vel imprimit ſtygmata.
Sit amantium exthaſes pati;
Suas amor, vel confixus exthaſes habet;
Et ſtylo amantium agens, & patiens,
Homines, *aut Diuinos*, aut *liberos* facit.
Amplectatur Sponſa Dilectum
Per feneſtras, *&* *per cancellos*,
Clara Chriſtum ſinè velamine oſculatur
Intus, & foris,
Immò foris non oſculatur,

Quia

Quia toto perfruitur intus.
Ferculum ſibi de *Cedris fabricauerit Sapientia*,
Holocauſtum nunc medullatum,
Confecit in ſanguine,
Et libans intus in arà cordis,
Vah quot vmbras, hac claritate,
Vah quot niues accendit hoc igne?
Rugiat quamuis infernus,
Et ſuis euomat portenta cymerijs
Errorum omnium nubes euaneſcent in Monte hoc,
Quia ſigna in corde Claræ credibilia facta ſũt nimis.
Apage incredule,
Quem igne adhuc, & ſanguine
Increpare non deſinit Clara.
Cæcus, qui ad lucem iſtam non videas,
Tepidus, qui ad hanc flammam non caleſias.

CHRONOLOGIA.

Clara in MonteFalco Vmbriæ oppido nata eſt. 1268.
Sacrum Ordinis velum accepit. 1290.
Abbatiſſa renunciatur. 1295.
Sacris inſignitur in corde ſtygmatibus. 1303.
Migrat anno ætatis ſuæ 40. Auguſti 17. 1308.
Vidi ipſe ad Montemſalcum vbi adhuc eſt incorrupta, cor
eius

eius exenteratum, in quò Dominicæ paſſionis inſtrumenta expreſſa ſunt, veluti ſi exſculpta fuiſſent, colorem adhuc, & duritiem ligni, ac ferri, quorum exempla ſunt, retinentia. In veſſicà etiam fellis inuenti tres globuli, colore, magnitudine, pondere æquales Trinit. repræſentantes, cuius illa ſingularis extitit Cultrix. Illius tercentum ſupra miracula annorum 10. *ſpatio facta, & approbata Torellus aſſerit ex vitæ Scriptore. Eam Nicolaus V. oratione, & antiphona; Vrbanus VIII. integro officio, & Clemens X. honorarunt. Videatur Spondanus, Bzouius, Ferrarius, Miranda, & alij, qui Claram Auguſtin. Ordini adiudicant, Vuadingo, & ſuis inane ſtrepentibus.*

PROGRAMMA.

Beata Clara à MonteFalco Ordinis
D. Auguſtini. 1462.

ANAGRAMMA.

Ego ſtigmata Domini Ieſù in corde meo porto.
Ad Galat. 6. 1462.

PROGRAMMA.

Beata Clara de MonteFalco Ordinis Eremitarum
Sancti Patris Auguſtini.

ANAGRAMMA.

Fel, & cor meum duo grandia, & mira Tabernacula Trinitatis, ac paſſionis.

EPIGRAMMA.

HVc paſſi Quicumque negas miracula Amoris,
Auferet obſcuram viſio Clara fidem.
Vidimus æquali menſurà, & pondere petras,
Tres vna æquabat pondere, & vna duas.
Vidimus affixi pænas, & ſtygmata Sponſi;
Arma, vepres, clauos, vulnera, flagra, crucem.
I noua Tù fidei, credendi, & Symbola quære.
Hæc mihi, quod credam, ſunt monumenta ſatis.

ELO-

ELOGIUM XXXXIII

BEATI AVGVSTINI VVLGÓ NOVELLI SICVLI GENERALIS MAGISTRI ORDINIS.

LEMMA.

Auguſtinus olim à Commentarijs Manfredi Siciliæ Regis non ſinè miraculo ſe Ordini dicat, diù in Laicali habitu manet, cognitus Pontificio Sacello præficitur, renunciatur Magiſter Ordinis. Ex Herrera ad annum 1310.

AVditis? Cælum etiam patet Aulicis,
Intrare ſi velint.
Nullus vitæ ſtatus inhabilis,
Vbi vel victi, & eiecti de Regno contendunt.
Auguſtinus planè contendit,
Qui *in Aula ſibi ſolitudines fabricatus*,
Paradiſus in ſolitudine:
In Aula flos pudicitiæ,
Flos pænitentiæ fuit in Clauſtro.
Ambiant alij aſcenſus in cathedris,
In foro præconia,

Suà diues ille humilitate,
Contemptù honoratur,
Dum nullus ità honorem ambijt,
Ac ille contemptum.
Theſauros ſuos Euangelicus Trapezita
Abſcondit ab oculis,
Et auro Ægypti contumeliam Crucis obijciens;
Non ſtipulas tempori,
Gemmas theſaurizat Æternitati.
Lucerna lucens, & latens,
Undè latet, indè luceſcit,
Et quo plus latuit, plus, & illuxit.
Exinaniuit ſe infra ſe Oraculum Iuris,
Et redactus in nihilum ſciens,
Proh quot cordis aſcenſiones,
Et deſcenſus in corde diſpoſuit?
Leuauit ſe ſuprà ſe honoris impatiens,
Et quàcumque honorem fugeret, honore quæſitus,
Dignitates habuit omnes,
Illas etiam, quas recuſauit.
Perge lector,
Auguſtino merito æquales,
Et habuimus, & habemus,
Gloria Nullum.

CHRO-

AUguſtinus de Thermà, nouellus dictus, natus eſt ann. 000.
Erat à ſecretis Manfredi Siciliæ Regis. 1262.
Rege occiſo, ipſe quoque vulneratur ad Beneuentum 27. Febr. 1266.
Reſipiſcit, & admirandà conuerſione Auguſt. cucullam induit. 1266.
Senas incognitus migrat, vbi magnitudine ſcientiæ notus, Sacerdotio initiatur. 1288.
Ad altiora ſtatim euectus Nicolao IV. ab arcanis conſcientiæ fuit, & primus, teſte Angelo Roccha, Apoſtolici Sacelli Præfectus. 1289.
Mediolani inuitus, & abſens renunciatur Magiſter Ordin. 1298.
Neapoli in Comitijs Ord. Præfecturà ſpontè ſe abdicat; deinde Senis Ordinem S. Mariæ de Scalà primus inſtituit. 1300.
Obit miraculis clarus, & ſanctitute apud Senas in Eremo S. Leonardi 19. Maij. 1310.
Corpus Senas translatum eſt ad D. Auguſtini, vbi cultum publicum habet. Agunt de illo cum laude Henricus de Urimarià, Iordanus de Saxon. Ægidius Viterb. Coriolanus, Landuccius, Bzouius, Spondanus, Faſti Senenſes, Mauritius Tertius, Ferrarius, qui perperam ſcribit Thermis in Sicilia, non in agro Senenſi obijſſe.

Au-

AUguſtinus plumarum, & lanæ vſum abijciens, ſarmentorum recumbit inſtrato.

EPIGRAMMA.

NOn Auguſtini puluillum ſerica fulcit
Pluma, nec argiuà fila retorta manù.
Arida Serpentem præſocant vimina ſomnum,
Et feſſa in gelido membra ſopore iacent.
Impia ſic ingens torquet phantaſmata ſaxum,
Et malus arenti in faſce rigeſcit amor.
Quid Cælo Paphiæ ceſtus, quid purpura Phæbi?
Hæc Solem, hæc Cælum tingere Saxa decet.

ELOGIVM XXXXIV.

BEATI IOANNIS AVSTRIACI SVEUIÆ DVCIS.

LEMMA.

Ioannes Alberto primo Imperatore Patruo occiſo, in ſeptis S. Nicolai Piſarum, pio Cæſaris iuſſu, conſtringitur, vbi ſumpto Ordinis habitù, & in alium Virum mutatus, exemplum lapſis Veræ contritionis, & vitæ reliquit. Ex Ænea Siluio in hiſtoria Boemica cap. 28. Ricciolio, Genebrardo, Herrera ad annum 1313.

MIrari volueram
Si à Ioanne incipiens,
In Ioannem non deſineret pænitentia.
Fumoſas alij dignitatum ceras enumerent,
Et bracteatos Auorum faſces,
Suo ille decorus in cinere ſuperbit opprobrijs,
Et ex captiuo libertus,
Victrices inter carceris ſordes,
Throphæum inuenit Chriſti Victoris.
Lacrymarum prodigus Inſtitor,

Vndè

Vndè luget, indè lucratur,
Et quod perdidit luctù recuperans,
Proh quale vinculis aurum,
Et ſeruitute commutat Imperium!
Sponſæ ſimilis per abrupta deſerti conſcendens
Delicijs affluit,
Et manù, oculis, fronte pęnitentię mirrhà diſtillans,
Quò inſipiens culpa deliquit,
Eò ſapiens, & pæna deſæuijt.
Quam potens igitur lacryma,
Quæ peccati flammas extinguens;
Ignem charitatis accendit in Principe;
Et Parricidij Crucem in coronam martirij vertens,
Pęnam ſceleris, vſu bono,
Et aureolam fecit, & pręmium.
Peccauit Ioannes, quod Principes ſolent,
Sed fleuit, ingemuit, quod Principes nollent.
Quod ceciderit ergo fragilitas,
Quod ſurrexerit eſt fortitudo.
Laudanda in alijs ſit innocentia,
In Ioanne, doloris ingenio,
Ipſa quoquè admiranda malitia eſt.
Principum optimus, minus egerat, ſi ſtetiſſet,
Minus vicerat, ni cecidiſſet;
Cum plus in vinculis poſitus,
Quam in aula ſit dominatus,
Domitor tot tyrannorum, quot Vitiorum.

Diſce

Diſce lector

Ioannis adhuc à pænitentià Regnum Cæli patitur vim,
Et violenti rapiunt illud.

CHRONOLOGIA.

IOannes Rudolphi Filius Sueuiæ Ducis naſcitur ann. 000.

Albertum Patruum Imperatorem, ob tutelam plus iuſto retentam, occidit prima Maij. 1308.

Facti pænitens primò Pontificem Auenione, deinde Henricum Sept. Piſis adit, à quò in ſeptis Auguſtin. carceri traditur. 1311.

Tondetur in Monachum, & ſcelus plangens, ſanctitate, & miraculis clarus occumbit Piſis. 1313.

Ex quò euaneſcit commentum Fælicis Fabri lib. 1. c. 13. de reditù Ioannis, poſt annos ſeptuaginta incognitæ abſentiæ, ad locum cædis, ibique defuncti; cum Piſis obierit, non Rinsfeldæ, vbi occidit Imperatorem. Vide Spondanum, Antoninum, Tritbemium, Æmilium, & noſtros.

TE nulla illuſtrem faceret, ſi pæna, Ioànnes,
Obſcura hęc eſſet, quam cupis vmbra ſatis.

ELOGIUM XXXXV

BEATI ÆGIDIJ ROMANI PRIMATIS AQVITANIÆ, ET S. R. E. CARDINALIS.

LEMMA.

Ægidius Primus Magiſter Ordinis Theologiam Pariſijs docet, Magiſtrum Interpretatur ſententiarum, Sanctum Thomam primò defendit. Ex Bzouio, Iordano de Saxonia, Poſſeuino, Herrera ad annum 1316.

ÆGidij, non Herculis Columnas attigimus.
Principium hic, & itineris finis eſt lector,
Cum vltrà, niſi ad immortalitatem ire non detur.
Tentauerit olim relegatos Oceano terminos,
Columbus inuadere;
Nullus vltrà columnam hanc nauigat,
Quam etiam in ſcientiarum Euripo,
Nè humanum iterum ſuos
Tranſiret fines ingenium,
Natura conſtituit.
Luminum Pharos,
Quà omne latè extenditur mare,
Sapientiæ mari prælucet,

Et nunc in nubis

Nunc in ignis Pyramidem verſa,

Vah' quot ænigmatum formas,

Et ſecretorum Arcana patefacit?

Suas etiam in Ægidio Sapientia

Aut excidit columnas, aut reperit,

Cum difficile dictù ſit,

An modeſtiam eius doctrina,

An doctrinam modeſtia vicerit.

Sed vicit vtraque, immò vtraque victa eſt,

Dum æqualem de illo triumphum,

Modeſtia ſimul, & doctrina obtinuerunt.

Non tantum in Ægidio doctrinæ fulgeret,

Niſi tantum modeſtię eſſet;

Doctrina enim ſinè modeſtià,

Superbià fumat,

Et cum modeſtià feruore ſcintillat.

Hanc de longinquò Pharos aſpicite,

Qui in inuio opinionũ Nouatorũ tumultù laſſamini,

Sua etiam in Columna loquitur Deus,

Quam, qui ſequitur,

Alienæ fundamento doctrinę non indiget.

CHRONOLOGIA.

Ægidius doctrinà, & ſanctitate, teſte Baronio ad ann. 1296. *apud Reges vniuerſos,*

& Principes clarus Romæ ex illuſtri Columnenſium genere naſcitur ann. 1247.

Romę ad S. Mariam de Populo Adoleſcens tondètur in Monachum, Paulò poſt à B. Clemente Auximate Pariſiorum Athenas mittitur, vbi per 13. *annos D. Thomam Aquin. Magiſtrum audijt.* 1270.

Italiam repetit, & Tuſcanellæ Comitijs præeſt. 1285.

Primus omnium apud Sorbonicos contrà Guilelmum Lamarenſem Ord. Minorum defendit opéra S. Thomæ, quædam iuſsù Honorij IU. retractat, librum de Regimine Princ. ſcribit, coram Philippo Pulchro, cuius fuerat olim Præceptor, panegyrim habet. 1285.

Doctrinam eius, & ſcripta, ſiuè ſcribenda defendere, ac ſequi decernunt *Florentini Capituli Patres.* 1287.

Romæ Generalis inauguratur, & paulò poſt Abbas Carobiloni Ciſtercienſium in Aquitaniâ. 1292.

Aſceterium Pariſienſe Ordini acquirit. 1293.

Pro renunciatione Cęleſtini Pont. ſcribit, & Archiepiſc. renunciatur Bituricenſis. 1295.

Viennenſi Concilio intereſt, & calamum acuit contrà Templarios. 1311.

Synodum Prouincialem Bituricas vocat. 1315.

Clarus meritis, & miraculis diem obit Auenione ætatis ſuæ 69. 22. Decembris. 1316.

Pariſios corpus eius translatum eſt, vbi hoc legitur

Epi-

Epitaphium.

Hic iacet Aula morum, vitæ munditia,
Clauis, & Doctor S. Theologiæ,
Lux in lucem reducens dubia.
Ægidius de Romà Ord. Er. S. Auguſtini
Archiepiſc. Bituricenſis,
Qui obijt anno Domini MCCCXUJ. 22. Decemb.

Edidit Vir æquè Beatus, ac Doctus ſeptuaginta ſupra volumina, teſte Angelo Roccha, in Bibliothecà Theologicà, idque, eà Doctrinæ laude; vt poſt D. Aurelium Auguſtinum, nemo Ægidio meliora, nec plura ſcripſerit, vt ſcribit Sabellicus Ænnead. 7. lib. 9. Eminent inter illa, quæ habemus, Primus, & ſecundus ſent. Quodlibeta, de Regimine Princ. Theoremata de Sacram. Altaris, de eſſe, & eſſentia, Hexameron, & in epiſt. ad Roman. Tertium ſent. ſolum ad diſt. 11. *ſcripſit. reliquum ex alijs libris ſuppletum eſt. Hallucinantur illi, qui venditant quartum etiam edidiſſe ſent. tum quia imperfectum reliquit tertium, tum quia à nullo antiquo Auctore citatur, aut ſcribitur. Tractatus de Oratione Dominicà, & Angelicà, cum libello de corpore Chriſti non eſſe Ægidij Pamphilus obſeruauit, & Bellarminus. Commentaria Phyſicæ, & Methaphyſ. ann.* 1618. *Urſellis impreſſa, ſunt Ægidij Fonſecæ, non noſtri. Librum de Poteſtate eccl. quem Goldaſtus malignè edidit, Ægidio indignus eſt, & contrarius, vt ex Bibliothecà angelicà conſtat, vbi Ægidij*

eſt

eſt manuſcriptus. Sine causà dubitauit Philippus Labbè cum Leandro de Correctorio Corruptorij S. Thomæ Aquinatis, cum pluris cordatis Viris debeat eſſe Auctoritas Iordani de Saxon. id aſſerentis, quam Sexcentorum Recentiorum non affirmantium. Opera autem Ægidij, Ægidij Medici, ac Poetæ Carbolienſis fuiſſe partum; ſicut quod Ægidius, natione non fuerit Italus, nec gente Columnia, fabulæ ſunt, quibus refellendis charta non ſuppetit. Antiqua lis eſt, an verè fuerit Cardinalis, ego Herreræ negatiuæ ſpontè ſubſcribo, cum hoc non legatur in Epitaph. quod aliàs inuidum eſſet, aut diminutum, cum tamen adulatoria, vt plurimum ſint. Abſoluendam crediderim litem, ſi dicamus electum eſſe, non promulgatum, aut intentum, ſed impeditum. Videantur Hiſtorici Ord. &c.

PROGRAMMA.

Ægidius Columna Romanus S. R. E. Cardinalis. 2878.

ANAGRAMMA.

Non mihi ſoli laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Eccli. 24. 2878.

EPI-

Clara Columnorum Soboles, Magni Ordinis Aſtrum
Ægidius, libros, quò non diffuſius alter,
Clarius, aut ſcripſit; Doctum pietate Parentem
Inſequitur, mitræque pares ſortitur honores.

ELOGIUM XXXXVI

BEATI AVGVSTINI TRIVMPHI ANCONITANI LVGDVNENSIS CONCILIJ PATRIS, ET PETRJ CATHEDRÆ DEFENSORIS.

LEMMA.

Auguſtinus Sanguine, litteris, & probitate inſigniter Clarus; Diuum Thomam Aquinatem Magiſtrum habet, loco ipſius ad Lugdunenſe Concilium pergit, contrà Hæreticos plura ſcribit, authoritatem Pontificis ſuſtinet, Roberti Regis Neapolitani amicitiâ floret. Ex Sabellico Enneadum 9. lib. 8. Volaterrano lib. 21. Claudio Roberto in Gallia Chriſtiana, Seripando ad annum 2328.

AVde Ancon Eremi Uictorijs,

Augu

Auguſtini triumphos inſerere ;
Nemo fortius illo ſtetit,
Nemo glorioſius illo certauit.
Diſciplinas natus ad omnes,
In ſingulis ſolers,
Angelo Præceptore,
Non Homine didicit ;
Et ſuprà hominem diſcens, ac docens,
Honores Angeli adoleſcens, & merita impleuit.
Eccleſiæ Sydus, Eremi fax
Doctrinis illam illuſtrauit, hanc pietate,
Et ſuo vndequaque triumpho reuectus,
Lęuà murum ſuſtinuit Templi,
Ferrum dextrà Vibrauit in impios.
Sera alios conſequatur poſt bella Victoria,
Triumphum præuenit,
Dum triumphans antequam Vinceret,
Non Vicit, vt triumpharet,
Triumphauit, vt Uinceret.
Orbem Victorijs implens, trophęis Italiam,
Verbo populos erudiuit, conſilio Reges,
In hoc amabilis,
Quod exemplo traheret populos,
In hoc mirabilis,
Quod grauitate compeſceret Reges.
Otiari in Aulà neſciens,
In Clauſtro non diſcere

Spi-

Spiritum Patris in ſe,
Aut impleuit, aut geminauit,
Et ſuo magis laureatus triumpho, quam mortuus
Decubuit anno 1328. 2. Aprilis.
Fælix, cuius ſinguli propè dies fuere Victoriȩ,
Fælicior, qui vno ingreſſum, ac exitum
Coronare triumpho meruerit.

CHRONOLOGIA.

AVguſtinus Anconæ ex nobili, & antiquà Triumphorum familià natus anno. 1243.
Tondetur in Monachum. 1261.
Adoleſcens vnà cum Ægidio Romano Lutetiam petit, vbi S. Thomam Magiſtrum audit, & theologiam publicè legit. 1270.
Gregorij X. Iuſsù in locum eiuſdem S. Thomæ demortui Lugdunenſi Concilio intereſt. 1274.
Patauij, & Venetijs ſummò plausù concionatur. 1277.
Librum ſcribit contra Porphyrium. 1280.
Neapolim accerſitur à Carolo II. Rege. 1283.
De Auctoritate Pontificis ſcribit. 1318.
Neapoli ſcientià, & Sanctitate inſignis obit ætatis ſuæ 85. 2. April. 1328.
Scripſit Vir Doctus 36. ſuprà librorum volumina, quibus ſtatuam apud Anconitanos ſibi promeruit, ſcripta eius, teſte Gratiano in Anaſtaſi, Romæ omnia aſſeruantur

Digitized by Google

in Vaticanà, & ſunt.

Commentaria in Ezechiel.

In 4. Euang.

In Acta Apoſt.

In epiſtolas Pauli.

In Apocalypſim.

Super Aue. Romæ 1592.

Super Magnificat. Romæ 1590.

De Poteſtate Eccl. Romæ 1584.

Quodlibeta.

De Ortu Rom. Imper.

Sermones.

Milleloquium Auguſtini. Florentiæ ad D. Laurent.

In Metaphy.

In libros Priorum.

De Potentijs animæ.

Contra Fraticellos.

De Facto Templariorum.

De Regno, ac Sacerdotio.

Contra Porphyrium.

Contra Græcos.

In 4. Sent.

De Reſurrectione mortuorum &c.

Milleloquium D. Auguſt. imperfectum ab ipſo relictum abſoluit Bartholomæus Urbinas, vt ſcribit Iordanus de Saxonia. Summam de Eccleſiaſticà poteſtate, Scioli nonnulli Auguſtino Eugubino attribuerunt,

vt

vt Maraccius obſeruauit. Agunt de illo cum laude Uolaterranus, Trithemius, Sixtus Senenſis, Spondanus, Antoninus, & omnes noſtri.

L*ongè alij laudes doctrinæ, & præmia quærant,*
Ipſe Tibi es laurus, palma, Triumphe, *ſatis.*

ELOGIUM XXXXVII

BEATI FRIDERICI RATISPONENSIS LAICJ.

LEMMA.

Fridericus obedientià in paucis inſignis futura prænoſcit, ægrotos ſanat, pauperes fouet, miraculis fulget. Ex Iordano de Saxon. Radero in Bauarià ſanctà, Milenſio in Alphab. ad ann. 1329.

F*Ridericus Ratiſponenſis*, & ipſe,
Quoniam non cognouit litteraturam,
In Potentias Domini, & miſerationes ingreſſus eſt.
Laicorum ſapientiſſimus
In abſcondito conuerſatus prouerbiorum,
Prophetarum vacauit in luminè,
Et diſcens omnia ſinè litteris,

 Scire

Scire ſe nihil,
Præter Chriſtum, eſt arbitratus.
Deſipiant alij nugis in Cathedra,
Et ſuperbię typho detumeant,
In aſcensu humilitatis
Fridericus exinanitus deſcendit in nihilum,
Et quo plus decidit, plus, & aſcendit.
Laureandus in Caluariæ ſchola diſcipulus
Chriſti non audiuit pręcepta, ſed fecit,
Et diſcens ex ijs, quæ faciebat Obedientiam;
Eò deuenit;
Vt vnus omnibus, vni omnes obedierint Friderico.
Victorias loqueretur obedientia,
Vincit quidquid meditatur, obediens Vir,
Et vincit dico,
Quia voluntas Friderici, voluntas eſt Numinis,
Suis obtemperet legibus, & præceptis obedientia
Exlex Friderici Obedientia leges ignorat,
Quia Vota Friderici, naturæ ſunt termini.
Ignorantia Sapiens, quam ediſcerent ignorantes,
Obedientia ignorans,
Quam ediſcerent Sapientes!

CHRONOLOGIA.

F*Ridericus Germanus natione, Patria Ratiſponenſis, omni caruit litteratura, miraculis clarus. ſolo infir-*

mos

mos aliquandò tactù ſanauit, vernantes roſas ſummâ hyeme ſibi allatas accèpit ab Angelis. Panem Egenis diſtribuendum, Antiſtitem vt latèret, conuertit in aſſulas. Eidem, vt obediret, ſacro Euchariſtiæ cibo ſe abſtinet, & ligna colligit; ſed dum ſecùri incidit ligna, ſacrà ab Angelis ſinaxi reficitur, quà deguſtata, poſtea omnes faſtidiuit humanas eſcas, donec anno 1329. 30. *Decembris ad cænam Agni Ratiſponæ vocatus eſt, vbi cultum publicum habet, tabellis Indicibus gratiarum appenſis. Curtius in eius vita, Herrera, Cruſenius &c.*

SIgenus inſpicias, ſpernes, mirabere geſta;
Illud fortunæ eſt, hoc pietatis opus.

E L O G I U M XXXXVIII

BEATORVM CÆNOBIJ SANCTI SALVATORIS ILLICETI SENARUM.

L E M M A.

Antiſtes Illicetanus ſacris indutus, miracula, ne ſilentium violetur, Sanctorum Defunctorum corporibus vetat. Ex Carolo Moreaù in Vindicijs Auguſt. Torelli, Landuccio ad ann. 1339.

QUam pulchra Obedientià, abiecta quam Victimæ!

Vo-

Vocem Præſulis reuerentur cadauerum fruſta,
Et nata obedire, ſigna non facere,
Obedientiam ne amittant, omittunt ſigna.
Potentiam Numinis
Dormientes in tumulis narrant,
Et Certi Victoriæ,
Non loquendo, tacendo triumphant.
Quid nobis ergo de ſignorum blandimur Imperio?
Oſtendunt Sanctitatem illa,
Non faciunt,
Cum Virtutes ſint fidei merita,
Et ſigna miracula.
Trophæa alibi loqueretur obedientia,
Hic aſſueta vitæ Victorijs,
Triumphat in tumulis,
Et *Vinci* neſcit,
Quod benè obedierit.
Vah quot ſe Pietas ſignis occultat, & publicat!
Virtutes publicat, miracula occultat.
Aliorum ſit memoria Vitæ cum laudibus,
Obedientiæ filios illaudatâ, nec præterit mors.
Sit mors alibi meriti finis,
Merendi mors Illiceti principium fuit.
Reddunt, quæ vouerant Beatorum Cineres Vota,
Et benè, cum obedire,
Viuendo, didicerint,
Viuere ſe adhuc
Obe-

Obediendo teſtantur,
Et vincunt.
Abſorpta mors in Uictoria
Reuixit, vt obijt,
Et fato fortior, neſcis an moriendo ſit Victa,
An vincendo mortua ſit.
Secuta eſt, non abrupit Victoriam *mors*,
Et vbi propè mortem vicerat Vita,
Mors poſt Uitam reuixit, & Vicit.
Vincerent alij ſæpè, cum Viuerent;
Hi primò mortui obedierunt, vixerunt, vicerunt.
Amittant alij Palmam poſt mortem,
Hi moriendo trophęa ſunt nacti.
Signa alijs, poſt virtutes, oſtendiſſe gloria ſit;
Horum ſigna non feciſſe Victoria eſt.
Quid nobis ergò de ſignorum blandimur Imperio?
Cum ſigna non facere, & obedire,
Signorum ſit primum.
Diſce lector, & arcana ſilentij ſeruans,
Signa fuge, cuſtodi Uirtutes.

CHRONOLOGIA.

NAti ſunt, quaſi non nati Illicetanæ Incolę Syluæ, & iuxtà illud Ecc. 44. perierunt, quaſi non fuerint, *vndè nullus Chronologiæ ſuperfuit locus. Vide Torellium, & Landuccium in Syluâ Illic.*

PRO-

PROGRAMMA.

B. B. Illicetani Ord. Erem. D. P. Aug. 612.

ANAGRAMMA.

Natio illorum Obedientia. Eccli. 3. 612.

BEata ſi quis Illiceti nemora
Videre nequit, eſt illorum maxima,
Et obedire, & obediri Natio.

ELOGIUM XXXXIX

BEATI IOANNIS GVCCII SENENSIS ILLICETANI.

LEMMA.

Ioannem, propter victus aſperitatem, à Tyrocinio fugientem; Chriſtus oſtenſa lateris plaga ad frugem reuocat. Ex Pamphilo, Herrerà, Cruſenio, Landucci in Sylua Illicetana ad annum 1339.

OViculam hanc, vel erroribus ęmulandam, Se-

Securè, & Tù Viator inſequere,
Quam, vt bonus inueniat Paſtor,
Nocte etiam intempeſtà,
Et ſubdio vagatur in Syluis.
Erranti feræ per inuia
Venator animarum tetendit inſidias,
Et prædæ intentus, non rete,
Sed vinculis charitatis inuitat ad caulam.
Nemo,qua aprehenderit artem inquirat;
Vulneribus traxit, Uulneribus cæpit,
Vulneribus vinxit.
Nudauit ſe pia Mater,
Et filio, quæ lactaret vbera oſtendens
Suum dapes, vbi dulceſcerent,
Patefacit latus.
Paſtorum Princeps, Nobilem prædam,
Introduxit in antrum cordis,
Et rectum oui perituræ indicans iter,
Ne quà impoſterum aberraret
Præſepe monſtrauit.
Hortorum Tellicanus, non ſolitudinis,
Pullum ſuum purgauit in ſanguine,
Et amoris Philoſophià,
Quem Sanguine genuit,
Regenerat ſanguine.
Noſtri hæc Medici virtus eſt,
Mederi ſimilibus,

Et nullà, Vulnera medicinà ſanare vulneribus.
Serpens verus in ara Crucis
Serpentis plagas plagis eludit,
Et percuſſos aſpectù ſanans,
Vide qua ægros medela ſanauerit.
Diſce lector,
Et tua etiam Crucifixi Vulneribus Cura,
Miſer, qui ad Medicum iſtum non fugiat,
Miſerrimus, qui hanc vulneribus ſuis
Non adhibeat medicinam.

CHRONOLOGIA.

IOannes Senarum Auguſtæ, ex nobili Incontrorum familia natus. 1275.
Senis in Aſceterio S. Saluatoris Illiceti fit noſter. 1296.
Miracula creditur interdixiſſe Sanctorum corporibus, ne ſilentium violaretur Religioſorum. Cœnobium moderabatur Illicet. 1338.
Hilaris, & Subridens Illiceti migrauit in Domino 4. Aprilis. 1339.
Ubi cultum publicum habet, vide Torellium, Pamphilum, Sanmartinum, Herreram, &c.

UBera ſunt potius quam vulnera, vulnera Chriſti,
Sanat enim plagis vulnera noſtra ſuis.

Digitized by Google

ELOGIVM XXXXX.

DIONYSIJ A BVRGO SANCTI SEPULCRI PROFESSORIS SORBONICJ EPISCOPI MONOPOLITANI.

LEMMA.

Dionyſius omni ſcientiarum genere illuſtris Theologiam Pariſijs docet, Conciones cum plauſu habet, Roberti Siciliæ Regis, & Petrarchæ amicitia floret.
Ex Trithemio, Herrerà, Cruſenio part. 3. cap. 13. ad annum 1339.

CÆlo Dionyſium datum, ne putares,
In terra docuit;
Terræ, nè crederes, educatum,
In Cælo didicit.
Humana in alijs laudentur ingenia,
In Dionyſio Angelicum fuit.
Longa breui ſeniorum merita emenſus,
Virtutum ſemina ignores,
An potuerit mittere citius,
An ferre fęlicius.
Pariſios ſtudiorum cauſa profectus
Sorbonæ ſe Præceptorem,
Sorbonam ſibi diſcipulam fecit.
Primum ratus Sapientię ornamentum

Vitæ candorem,
Paleſtram docuit, quod rarò didicerat,
Falsò liberales vocari Scientias,
Quas ancillari
Vitiorum catena conſtringeret.
Digna æquè legi ſcribens, ac ſcribi faciens,
Doctrinam libris illuſtrauit, operibus Vitam.
E roſtris tonans argumentis, fulgurans Stylo
Æquè ſpem oculorum, ac aurium vicit,
Cum maiora non aures audirent,
Et maiora non oculi cernerent.
Pugna tamen inter aures; & oculos fuit,
Num aures amplius, an oculi poſſent,
Cum plura oculi agentem viderent,
& aures caperent minora docentem.
Utrinque Uictoria,
Negabant oculi fidem auditui,
Uiſum oculis negabat auditus,
Cum viciſſim non viſa oculi,
Inaudita perciperent aures.
Rediuiuam in ipſo Pitho dixiſſes, aut Suadam,
Ità Pitho ſuaſiſſet, placere ſi voluit,
Ità Suada placuiſſet, ſuadere ſi debuit.
Facundiæ mel
Audiendi non dicendi auxerat Sitim,
Dum quo diutius diceret,
Optaretur audiri cupidius.

Audi-

Audiri dignus, quem Poetarũ laudauerat Princeps,
Spectari dignus, quò ſapientũ ſatiari nõ poterat Rex.
Aulæ deliciæ,
Siuè Diuinà tractaret, ſiuè humana moderaretur
Siuè poetica ſcriberet, ſiuè legeret mathematica;
Se Regis, ſui Regem ſolatium fecerat.
Neminem illo doctiorem Poſteritas audijt,
Illo neminem grauiorem Antiquitas vidit.
Nemo Auctore illo ſeduxit,
Illo nemo Actore ſeductus eſt.
Idem Regni Cláuus, & Regis,
Regni habenas ſuſtinebat, nè premeretur,
Sceptrum Regis temperabat, nè vellet opprimere,
Idem vtriuſque Defenſor, ac Cliens,
Regno adhęſit, vt Regem timeret,
Regi aſtitit, vt amari, non timeri ſtuderet à Regno,
Sile Calame.
Nullæ ad laudandum Dionyſium linguæ,
Cum dignè, quæ laudent,
Vltrà Roberti, & Petrarchæ linguę non ſint.

CHRONOLOGIA.

Dionyſius de Robertis natione Italus, Biturgienſis Patria fuit. Athenis Pariſiorum Theologiæ operam dedit, & eò ingenij, ac laboris acceſſit induſtria; Vt non ſolum Theologus, ſed Orator, Poeta, Philoſophus,

phus, Politicus, Aſtrologus, & Declamator inſignis euaſerit teſtimonio Franciſci Petrarchæ lib. 14. epiſt. 7. Hinc ob doctrinæ raritatem ſuſpectus ab omnibus, Roberto Regi Neap. Franciſco Petrarchę, Ioanni Villano, & Doctioribus ſui Æui chariſſimus extitit. anno 1339. ſub Benedicto XII. Epiſcopus renunciatur Monopolitanus, & prima excitat fundamenta Aſceterij S. Ioannis ad Carbonariam. Piam efflauit animam Neapoli in aula Regis 14. Ianuarij 1342.

Scripſit in epiſt. Pauli ad Rom. in Magiſtrum Sent. In Ualerium Max., Ouidium, Virgilium, & Senecam. In Poeticam Ariſtotelis, Politicam, & Rhetoricam. Fabulas omnes tropologicè explanàuit.

Ipſum eximiè laudant Trithemius, Friſius, Poſſeuinus, & præ omnibus Petrarcha, cui etiam Epitaphium hoc dedicauit.

Qui fuit Heſperiæ decus, & noua gloria gentis,
Cultor amicitiæ fidus, chariſque benignus,
Cumuictù placidus, vultùque, animoque ſerenus,
Religione pius, factiſque, habitùque modeſtus,
Altus, & ingenio, facundo ſplendidus ore,
Flos Vatum, Cæli Scrutator, cognitus Aſtris,
Rarus apud Veteres, noſtro rariſſimo Æuo,
Unicus ex mille iacet hic Dionyſius ille.

ELO-

ELOGIVM XXXXXI

BEATI PETRI VVLGÒ PLANGENTIS A ROSIA.

LEMMA.

Petrus Vulgò lacrymans dictus, Chriſti pœnas aſſiduè plorat, & perpetuò riſù ſe abſtinet. Ex Pamphilo, Bralio, Herrerà, Landucci, Helſſio ad annum 1343.

LOcus flendi Uiator hic eſt,
Ubi Heraclitus Chriſtianus perpetuò plangens,
Scholam aperit lacrymarum,
Et ſtultorum Hominum riſum,
Uel extinctus conuertit in luctum.
Quærant alij in riſù delicias,
Suas ille quæſiuit in lacrymis,
Et potù die, ac nocte lacrymarum refrigerans æſtũ,
Non planctù intercidit,
Sed orditur fælicitatem.
Stillicidio itàquè amoris perenniter fluens,
Superioris aquis irrigui,
Viridarium irrigat cordis,
Nauàque amoris anthiteſi,
Vbi alij à riſù lætitiam,

Lætitiam ille incæpit à lacrymis.
Diù Amor Animam hanc æmulatus,
Illam de fontibus ſuis,
Voluptatis inebriat planctù,
Et vndè charitas planctum,
Indè mutuò charitatem nutriuit, & planctus.
Hortus irriguus aquarum in tranſitù
Poma Vetera, ac noua ſeruauit;
Et ferax vndique
Impleuit Eremi vbera nouo lacte,
Torcularia noua vindemia.
Quam fæcunda igitur lacryma?
Quæ flammas charitatis accendens in Petro,
Ignem metamorphòſi amoris in pluuiam,
Pluuiam vi lacrymarum conuertit in ignem.
Ità dolorum ex ſemine,
Gaudiorum manipulos metens,
Suam verè fælicitatem cæpit à lacrymis,
Nam vbi alijs riſus, planctus initium eſt,
Petro planctus, veri riſus principium fuit.
Diſce lector,
Et qui Petrum innocentem ſequi non potes,
Saltem ſequere pænitentem.

CHRONOLOGIA.

P*Etrus à Vito Roſiæ Agri Senenſis, vnde illi cognomen, & Patria, vulgò* Plangens *vocatus eſt, eò*

quod

quod nemo illum, teſte Ægidio Viterbienſi in Panegyri SS. Illiceti vnquam viderit non lacrymantem. Nugarum, & riſus ſemper Hoſtis acerrimus fuit, quod ſi triſtitiam, ex illo Apoſt. hilarem Datorem diligit Deus *quis accuſaſſet, Hilarem à Deo ille adamari Datorem, reſpondebat, ſed lacrymarum; & dulciores eſſe orantium lacrymas, quam gaudia Theatricorum, & mente, non oculis capeſſendam lætitiam eſſe; nec debere mancipia illic vacare voluptati, vbi Dominus affixus ſit Cruci. Ad riſum vitæ è lacrymarum valle pertranſijt Illiceti* 1343. *vbi adhuc corpus eius eſt incorruptum. Agunt de illo Landucci, Brulius in vita Io: Chiſij, Herrera &c.*

Per mea, continuis, imber ruit, ora fluentis,
Cauſas, inquis, habes, Tù quoque forſan habes.

ELOGIVM XXXXXII.

BEATI SIMONIS A CASSIA.

LEMMA.

Simon Infantulus Sapientiam ſibi ab Angelo propinatam exhaurit è Calice. Ex Arthmano Schedel, Volaterrano, Sabellico, Vuadingo, Trithemio, Poſſeuino, Sixto Senenſi, Marraccio, Geſnero, Bollando ad nonam Iunij, Cruſenio, ad annũ 1348.

EXundantis Caſiæ verticem
Viator aſcendimus,
Vbi Simon languores Animæ ſcribens, ac ſanans
Prophetiam effundit, vt ſcientiam,
Et vrbes adhuc Heſperiæ
Pęnitentià terret, & cinere.
Honorarius Chriſti Ephæbus
Gratiarum *nutritus* vberibus,
Uinum non propinat in mensà, ſed bibit,
Et eructans, quod primò bibit,
Vide quam benè dolores,
Et tormenta deſcripſerit Verbi!
Calix iſte calix inebrians,
Vitæ merum prębet amanti,
Et velut *fons voluptatis* inebrians omnia,
Sanctorum non effundit, ſed congregat ſcientiam.
Vinùm aliàs dementauerit ſapientes,
Uinum Uirginum Vinum hoc erudit ad ſcientiam,
Et aromatum muſto conditum,
Undè inebriat, reddit, & ſobrium.
Præclara ebrietas, quæ germinat ſobrios,
Et quo plus ebria, plus facit, & ſobrios!
Vino enim, qui inebriatur dormitat, & deſipit,
& qui ſpiritu ſapit, & vigilat.
Bibe ex hoc calice Viator & Tu,
Fælix, qui hoc ſæpè inebrietur,
Fælicior, qui hoc ebrius non ſitiat iterum.

CHRO-

SImon, Fidatus agnomine, Caſſiæ Vmbriæ Oppido, non Hernicorum, vt Labbè exiſtimauit; natalem habuit, circà ann. 1280.
Auguſtini Monaſticam induit. 1300.
Clariores Italiæ vrbes verbo illuminat, & exemplo. 1320.
Miraculis, & prophetiæ ſpiritù Clarus Florentiæ obijt 2. Febr. 1348.
Corpus eius non Florentiæ, vt malè quidam ex noſtris, ſed Caſſię iacet. Beati Laureà ab Antiquis eſt inſignitus, & publico adhuc Caſſiæ cultù honoratur. Scripſit pius, & Doctus Vir.
De Geſtis Saluatoris, Coloniæ 1540.
De Doctrinà Chriſti.
De Vità Chriſtianà. In Bibliot. Cæſareà.
De Patientià.
De Diſciplinà ſpirituali.
De ſpeculo Crucis.
De ſtultitijs. Mediolani 1556.
De Vita Eremiticà.
De conflictu Chriſtiano.
De Symbolo.
Epiſtolas ad diuerſos.
De peccati cognitione.
In 4. Euangelia.

De B. Uirgine Baſileæ 1517.
Agunt de illo cum laude Marraccius, Iacobillus in eius vita, Bellarminus de ſcript Eccl. & omnes noſtri.

INfuſam è Cælo Sophiam, Vitæque fluenta
Hauſiſſes vtinam lingua diſerta magis.

E L O G I U M XXXXXIII.

BEATI VVILELMI CREMONENSIS GENERALIS MAGISTRI ORD. ET EPISCOPI NOVARIENSIS.

L E M M A.

Vuilelmus iuris peritiâ, & Theologia in primis rarus; ſextò Præfecturam Ordinis obit, Aſceterium Papienſe Ordini acquirit, purpuram reſpuit, in Epiſcopatù Monaſticam agit. Ex S. Antonino, Cauitellio, Cellotio, Friſio, Henrico de Vrimaria, Ambroſio Corano, Cruſenio ad annum 1356.

UUilelmus,
Uerus Auguſtinianæ Aquilæ Pullus
Au-

Auguſtino natus adhæſit,
Auguſtinum adeptus eſt viuens,
Cum Auguſtino ſepultus eſt moriens.
Splendorē ſanguinis magnitudine meriti exęquans,
Virtute tranſcendens,
Natales meritis illuſtrauit, natalibus merita.
Diù extrà Patriam, extrà ſe nunquam,
Scire cępit, cum viuere incæpit,
Cum ſcientia vix in ipſo differret à vita,
Iuuenis inter ſpecioſa Deſerti adoleſcens
Spem æquauit Antiquorum, dum Poſteros vicit,
Vota æquauit Poſterorum, dum vicit Antiquos.
Eremi *ſedem* virtute,
Non fortunà comite, aſcendens,
Totum virtuti, Fortunæ nil debuit.
Prodeſſe ambiens, prçeſſe non appetens,
Perpetuò præfuit;
Præeſſe indignatus, prodeſſe ni poſſet.
Legum non Scriba, ſed Factor,
Nullas ſubditis leges impoſuit,
Cum viuas omnes in moribus,
Non in libris oſtenderet leges.
Alienæ fæneratus vtilitati, prodigus ſuæ,
Suo aliorum pericula damno,
Negocijs *otium*,
Egeſtatem *ſuppleuit* induſtrià.
Nemo purpuram glorioſius recuſauit,
Ne

Nemo ſagum præcinxit humilius.
Ex Eremo coactus ad inſulas
Eſſe Monachus tunc incæpit, cum eſſe deſijt.
Uerè Epiſcopus, *quod ſpeculator*
Nullam audijt ſubditorum de ſe querelam,
De ſubditis ſuam.
Omnibus omnia, *Iudicem* Viduis,
Captiuis Vindicem,
Se Pupillis exhibuit Patrem.
Plura auſus, quam calamitas temporum *ferret*,
Normam Populo, Clero formam,
Sanctitatem Eremo reſtituit.
Nemo illo plus Ordini præfuit,
Nemo illo plus Infulæ profuit.
Amabatur in illo pietas,
Timebatut in illo iuſtitia.
Pium Aula non reprehendit, ne argueret iuſtum
Juſtum Erèmus non reprehendit, ne argueret pium.
Siſte Calame,
Expectare neceſſe eſt,
Nam quod Vuilelmo rependat,
Nec Erèmus, nec Infula reperit.

CHRONOLOGIA.

V*Vilelmus Gente Amidanà, ſeù de Tochis Cremonæ naſcitur*.

Galeacio Uicecomiti à ſecretis conſcientiæ præeſt, & ſæpè legationes Pontificum obit. 1324.

Florentiæ Ordinis Generalis inauguratur. 28. Februarij. 1326.

Pontificio Galèro renunciat, & loco ipſius Papienſe Cœnobium petit. 1327.

Pariſijs confirmatur in Generalem. 1329.

Regum, & Pontificum fretus auxilio Templum impetrat Papienſe, & exuuias M. Patris. 1331.

Uenetijs iterum confirmatur in Generalem. 1332.

Deindè Graſſæ in Galliâ. 1335.

Senis in Tuſciâ, 1338.

Et poſteà Toloſæ. 1341.

Inuitus Pontificio initiatur Nouarienſi. 1342.

De Ordine tandem, & Eccleſia benèmeritus Nouariæ obijt. 1355.

Papiæ ad S. Auguſt. vt ſancierat teſtamento, conditus eſt.

Reliquit doctrinæ ſuæ inditia.

De Auctoritate Apoſt.

Orationes.

Sermones.

In 4. Euangel.

In 4. Sent.

Illius cum laude meminit Iordanus de Saxon. lib. 1. c. 13 Tritbem, Sixtus Senenſis, Volaterranus, & noſtri.

Oſtr.

O*Stro præ exuuijs Patris detrecto, ſed oſtrum*
Me trahit, & ſequitur purpura ſpreta magis.

ELOGIUM XXXXXIV.

THOMÆ DE ARGENTINA DOCTORIS SORBONICI, ET GENERALIS MAGISTRI ORDINIS.

LEMMA.

Thomas Ægidij Defenſor acerrimus, Magiſtrum Pariſijs interpretatur ſententiarum, Hæreticos vexat, auctoritatem Pontificis fouet, quartò eligitur Generalis, nouas Conſtitutiones antiquis addit.
Ex Pamphilo, Seripando, Claudio Roberto in Gallia Chriſtiana, Schedel, Milenſio, Labbè, Stellartio, Bellarmino, Cruſenio ad annum 1357.

THomas, non vnius Prouinciæ gloria,
Ortù Rhenum, Sequanam Studijs,
Et Danubium obitù ornauit.
Columnæ Ægidij lumen, & Dux,
Unde arſit, inde reluxit,
Dum quem Scientiæ maieſtate ſequi non potuit

Cla-

Claritate tranſgreſſus eſt.
Argentum igne examinatum, probatum ſeptuplum
Auro par fuit;
Et argentum gemmis inaurans
Vitæ oſtendit pondus in auro,
In argento doctrinæ candorem.
Ità mores perficiens ſuos, vt perficeret alienos
Subeſſe omnibus ambijt; ità erat humilis,
Pręeſſe meruit, ità ſublimis.
Vbique ſcientię lucem charitatis ardore componens
Doctrinæ addidit, cum piam fecit,
Pietati, dum reddidit doctam.
Diù Ordinis Moderator antequam eſſet
Eremum legibus exornauit, ſtylo defendit.
In hoc timendus, quod ſemper regeret,
In hoc amandus, quod neminem læderet.
Lucrum Gregis reputans ſuum
Suò aliorum pericula damno,
Iacturas ſumptù, ſeruitutem ſupplicio emit.
Quò diutius imperaret imperiò dignior.
Coluit omnes vt Patres, correxit vt Pater.
Futuri, non pręſentis ſæculi Vir,
Diem ſæculi abominatus,
Æterna præripuit;
Et tempori moriens, antequam naſceretur ęternitati
Mortuus eſt, & non eſt mortuus,
Anno 1357. Viennæ Auſtriacæ.

 Re-

ſint Thomæ Argent. Ord. Prædic. cum tanto ante à noſtro Iordanus de Saxon. attribuerit lib. 2. c. 22.

SI retulit, dulci qui miſcuit vtile punctum;
Hic breue, qui claro miſcuit omne tulit.

ELOGIVM XXXXXV

BEATI GREGORIJ ARIMINENSIS DOCTORIS AVTHENTICI, NOMINALIUM PRINCIPIS, ET GENERALIS MAGISTRI ORDINIS.

LEMMA.

Gregorius indole, & pietate in primis rarus Theologiam Lutetiæ docet, Auguſtini doctrinam ſectatur, Scotum impugnat, Nominalium erigit Scholam, renunciatur Ordinis Præſes. Ex Sabellico, Volaterrano, Gratiano, Iordano de Saxonia, Adimario, Vancio, Herrerà ad annum 1358.

GRegorius Ariminenſis,

Diſcipulus Auguſtini, Æmulus Scoti,
Ex lectione Auguſtini ſubtilis agnomen,
Ex Scoti æmulatione
Nomen authentici audiuit à ſcholis.
Auguſtinum, & Scotum didicit,
Gregorium qui ſcit;
Nec totum benè Auguſtinum, & Scotum audiuit,
Qui Gregorium primò non vidit.
Alijs, alij præcedant indole, doctrinà ſequantur
Gregorius ambigas an indole plures,
An doctrinà ſit aſſecutus.
Subtile eſt aliquid in Scoto, quod terret,
Acutum eſt aliquod in Gregorio, quod oblectat.
Doctor ſinè Auguſtino ſubtilis haud eſſet,
Sinè Scoto non eſſet Authenticus.
Auguſtinum ità refert, ac ſi vidiſſet,
Scotum ita æmulatur, ac ſi viciſſet.
Gregorium Scotus antecedit ſubtilitate;
Scotum Gregorius æquat acumine;
Et tranſcendit auctoritate.
Grandis Aquila antiquorum veſtigia proterens
Volauit excelſius,
Et noua in Cęlo ſcientiarum detegens lumina,
Scholę primum, Duce Auguſtino, æmulo Scoto,
Nominalium iecit exordia.
Diù eius laceret ſcripta, vel celet inuidia,
Charitas publicabit, quæ nunquam excidit,

Nam

Nam vt ſubtilitatem ex Scoto,
Ità Scientiam mutuauit ex Auguſtino,
Non quæ inflat, ſed, quæ ædificat.
Vir amore, & honore omnium dignus,
Siuè quod Nominalium Princeps,
Siuè quod Ordinis Primas,
Siuè quod Beatorum coronà donatus.
Redi lector,
Et primum hoc à Gregorio diſce theorema,
Scientià ſolà lucere vanum,
Charitate ardere parum;
Scientià verò lucere, & charitate ardere perfectum.

CHRONOLOGIA.

Gregorius Italus natione, Patrià Ariminenſis, vnde illi cognomen, Magnus planè, & apoſtolici zeli Vir fuit, & cui, ſiuè pietatem, ſeù ſcientiam ſpectes, ægrè pares Italia peperit. Adoleſcens voto ſe obſtrinxit, & in Comitijs Baſileæ Lector renunciatur Arimin. 1351. Lutetiæ Scotum æmulum habuit, & eà, teſte Curtiò in Elogijs, Doctrinæ, ac Sapientiæ laude præcelluit, vt nemo Academiæ Sorbon. Gregorij audèret refragari auctoritati, vnde primus nomen Authentici audiuit à Scholis. Nullus certè Antiquorum Theologorum, Noriſio teſte, in Auguſtini lectione Gregorium, aut Æquauit, aut ſuperauit,

Illum

Illum vbique, vt ait Macedo, Magiſtrum ſequitur, & profitetur, eique ſe Diſcipulum præbet, eiuſque doctrinam, cum doctrinà Pauli coniungit, &c. Cum ergò eſſet tum Doctrinæ, tum Vitæ ſpeculum, *vt ſcribit. Jordanus De Saxon. Eum meritò Patres in Comitijs Montiſpeſſulani in Gallià Ordinis Generalem reſalutarunt anno* 1357. 28. *Maij. Deceſſit Viennæ in Auſtrià, nondum anni integri impleto regimine, & in eodem cum Thoma Argentin. ſepultus eſt tumulo anno* 1358.

Scripſit in 1. & 2. *Sent. Pariſijs* 1482.
De Uſuris.
Jn Epiſt. Pauli.
Sermones de tempore.
Sermones de Sanctis.
De moribus Uenetorum.
De Conditionibus Florentinorum.
De Intenſione, & remiſſi. formarum.
In Epiſt. D. Iacobi.
Jn Metaph. Pariſijs in noſtrà.
Carmina Italica, & Latina, teſte Adimario.
Addunt quamplures ex noſtris in 3. *etiam, &* 4. *ſcripſiſſe; quod mihi valdè dubium eſt; cum nullam de ijs memoriam Iordanus habuerit. Vide Elſſium, Torellum, & alios.*

Uera

Vera quidem hæc Libris ſed quam tamen ille reliquit,
Multò ea Gregorij eſt verior effigies.

ELOGIVM XXXXXVI

BEATI HIERONYMI GERARDUCIJ RECINETENSIS.

LEMMA.

Hieronymus in Feretro expoſitus Superiori præcipienti, vt ſuæ aliquid puritatis ſignum oſtendat, florum tempore immaturo faſciculum porrigit. Ex Tampilo, Herrera, Cruſenio, Torrelli ad annum 1368.

CAue lector nè hac flores in pyrà
Iudicares meſtitiæ Symbola,
Honoris hi tantum fructus,
Et honeſtatis emblemata ſunt.
Hieronymus iubenti Prępoſito,
Vt candorem ſigno teſtètur,
Defunctus obtemperat,
Et areſcentem eleuans manum
Florum brumà crudeſcente faſciculum porrigit.
Audiebam, *quod Vir obediens loquètur victorias,*
Sed quod in feretro victrix efflorereret obedientia
Audi-

Auditum eſt primò.
Sponſæ amicus per amœna deſerti laſſatus
Requièuit in Somno ſuo,
Et vi expergèfactus obèdièntiæ
Quos coluerat, obtulit flores.
Floridam Vitæ periodum
Spinis mors intercidere auſa non eſt,
Sed inchoatum floribus ſtamen,
Adultum in floribus, perfecit & floribus.
Errant ergò, qui ſpinis horridam,
Et deformem autumant mortem;
Cum Hieronymi ſertis ornata,
Ità Beatorum formoſa ſit mors.
Peccatum ergo deformitas mortis,
Cum flores antè peccatum
Effloreſcerent ſinè ſpinis,
Et poſt gratiam effloreſcens
Sinè ſpinis inuenta ſit mors.
Fælix, qui ſęculo in vno ſinè ſpinis inuentus eſt,
Fælicior, qui in alio inuenit & flores.

CHRONOLOGIA.

Hieronymus Italus natione, Patria Recinetenſis, miraculorum ſplendore, & vitæ meritis in paucis enituit. Vir Pacificus immortales intèr Firmanos, & Aſculanos iras extinxit. Truentum flumen aquarum im-

impetù tumens, extenſo ſuper vndas palliolo traijcit. Defunctus in feretro Antiſtiti obtemperat; & læuam exanimem intrà ſinum manicæ mittens, virentem florum faſciculum ipſi ſummo hyemis tempore offert. Viuere deſijt ſemper victurus Recineti 1368. 4. Martij, vbi adhuc eius cadauer, teſte Herrerà ſuauiſſimè olet, & publicò ab omnibus cultù adoratur. Videatur Pamphilus, Herrera, Cruſenius, & omnes noſtri.

PROGRAMMA.

Hieronymus Gerarducci de Ordine S.P. Auguſtini. 1899.

ANAGRAMMA.

Flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Eccl. 24. 1899.

HIeronymus Truentum ſtrato ſuper aquas Palliolo traijcit.

AGgere dum fracto, toto ruit amne Truentum,
Et nullo admiſſo lintre tumeſcit aquis.
Remige Tù nullo, ac ligno munitus aquarum
Eluuiem tranſis, & ſine lintre redis.

Auſpice Te, credo metuèrunt fluminis æſtus ;
Senſerat aut Numen fluminis unda tuum.

ELOGIUM XXXXXVII

BEATI IORDANI DE SAXONIA' PROFESSORIS MAGDEBVRGENSIS.

LEMMA.

Jordanus ſcientiâ, & probitate in paucis rarus theologiam publicè docet, annales Ordinis ſcribit, Hæreticos vexat, verbo, & exemplo Germanos ædificat. Ex Pamphilo, Herrerâ, Ricciolio ad ann. 1380.

SI Iordani diſcutias Nomen,
Vt vix credas eſſe Uenuſtius ;
Jtà ſi ortum quæras, aut Patriam,
Vix inuenias eſſe robuſtius.
Proſperi à Regio, & Alberti Patauini
Dignus Auditor
Prȩceptores æquauit ingenio, virtutibus vicit.
Germaniæ Aood
Siniſtrà æquè, ac dextrà fortiſſimus erupit in impios,
Et rebelles facundiâ terrens, modeſtiâ conterens
Jncertum fecit, an plures ſcientiâ ſuperauerit,
An

An probitate.
Vigilijs ſuis Antiquorum arcana ſcrutatus
Auorum magnalia ità ſcripſit, ac ſi vidiſſet,
Sua ità tacuit, ac ſi neſciſſet.
Æquè Catholicis charus, ac Hæreticis inimicus
Punijt illos vt liberos, hos vt rebelles.
In hoc amandus, quod vindictæ incapax eſſet,
In hoc timendus, quod iræ non capax.
Iordanum ſe non exiſtimans
Suo niſi prorumperet alueo,
Germanos, Italos, Gallos,
Doctrinis aluit, ſudoribus abluit;
Et multiplicans quaſi Iordanis
Omnia vel impleuit, vel peperit flumina.
Currant nouorum in tempore
Et aquarum niuibus creſcant æſtuantes ripæ Iordanis;
Iordani charitas innocentiæ fœderata
Innocentiæ niue quam creuit?
Aquæ multæ non extinxerint charitatem,
Nemo huius exſicauerit vada Jordanis;
Quia æſtù charitatis elata ſunt nimis.
Guſta & Tù de Iordane iſto Viator,
Lutum fæcis Europa non biberet,
Si de hoc ſemper ebibiſſet Iordane Saxonia.

JOrdanus Quintelingurbi in Saxon. natus circa ann. 1296.
Auguſtini Monaſticam induit. 1312.
Ariminenſi Capit. intereſt. 1318.
Bononiæ litteris Operam Nauat. 1319.
Reformationi Ordinis ſtudet. 1331.
Hæreticos Tangermundæ fælicitèr ſuperat. 1336.
Mediolani in Comitijs Ordinis ſedet, & eius acta iuſsù Patrum Clementi VI. offert eod. anno Aueniońe. 1343.
De Ordine, & Eccleſià optimè meritus obijt Viennæ Auſtriæ circa. 1380.
Reliquit ſuæ pietatis, ac Scientiæ Indices.
Comment. in Apoc.
Sermones de Sanctis Pariſijs 1500.
Sermones de Temp. Argentinæ 1483.
Conciones in Quadrageſ.
Sermones Dominic. Patauij
Gloſſas in Euang.
De Spiritù libertatis.
Comment. in Regulam Auguſt.
De paſſione Chriſti Argentinæ 1484.
Quæſtiones varias.
Vitas Fratrum Romæ 1587.
Vitam S. Monicæ.

Apo-

Apologiam Ord.
De Oratione Dominic.
Vitam S. Auguſtini. Pariſijs 1686.

Errat Gratianus, qui librum inſcriptum vitas Fratrum *diſtinguit à libro De quatuor Communit. cum idem ſit, & Vuadingus, qui alteri attribuit, cum Pariſijs in noſtra cum alijs tanto ante manuſcriptus cuſtodiatur. Graue de illo dant teſtimonium Trithemius, Artmanus Schedel, Friſius, Bergomenſis, Herrera, & alij.*

HÆretici Tangermundæ Iordani opera igni traduntur.

SÆcula Iordanum Terræ ſi noſtra tuliſſent,
Iam nullo in Monſtris Orbe fuiſſet opus.
Iordani pietas Hydræ mors vna fuiſſet,
Arſiſſetque ſuis vſta chimęra focis.
Unus hic Arctooi calcaſſet colla Draconis.
Serpentem ſolus, ſolus & Eumenides.
Herculea poſt hæc ſiluiſſet gloria clauæ,
Iordani ad calamum ferrea claua nihil.

ELOGIUM XXXXXVIII.

LVDOVICI MARSILII THEOLOGI, AC ORATORIS ELOQVENTISSIMI.

LEMMA.

Marſilius omni diſciplinarum genere inſtructus Oratoriam publicè docet, Florentinam Rempublicam dirigit, extinguit odia, honores reicit, planctù, & ſumptù publico tumulatur. Ex S. Antonino, Petrarcha lib. 14. Epiſt. Senil. Epiſt. 7. Guicciardino, Poggio, Pamphilo ad annum 1389.

LVdouicus, quem *priſca* Eremus,
Inter ſydera collocaſſet;
Eremum meritis, Sapientia ornauit Etruriam,
Terreſtre Oraculum Scientiæ
Morum leges lacte ſuxit, non acquiſiuit;
Et æquè ſeù doceret, ſeù ageret Eloquens,
Neſcis an plures doctrina inſtituerit,
An probitate.
Fælicem ſe non exiſtimans,
Niſi cùm Ciuium detrimenta faceret ſua,
Eloquentem, niſi cum ageret;

Elo-

Eloquij fructum, pietatem reliquit in filijs;
Et flores meritò feſtinante conſeruans, & fructus
Florem Urbium, Urbem ſimul & fructuum fecit.
Magna Numæ debuerit Roma
Maiora Ludouico Florentia debet,
Cum ille legibus,
Hic Ciuitatem formauerit moribus.
Vrbis Oculus, Reipublicæ Mens
Vtramque, ſeù proſpera, ſeù aduerſa ſpiraret ſors;
Seruauit incolumem,
Et vtràque ſuperior ſorte,
Sub aduersà gaudere didicit,
Timere ſub proſpera.
Etruriæ Pericles,
Seù Rempublicam tueretur,
Siuè Legatos exciperet,
Siuè hoſtibus reſponderet,
Siuè Principes erudiret,
Omnium quàquà libuit, direxit ingenia,
Nam ſi diceret intempeſtè,
Singulorum rapuerat vota,
Et ſi conſultò taceret, Vniuerſorũ mutauerat corda.
Dignitates omnes exoſus, omnium capax,
Honorum apices, præ Sapientia
Fumi iugera eſt arbitratus.
In hoc magnus, quod non honores æſtimaret,
Sed Sapientiam;

Jn

In hoc maior, quod ſine honoribus
Merita Sapientis haberet, & gloriam.
Quieſce calame,
Ut placeas, taceas;
Ludouicus nunquam ſatis
Ab Antiquis laudatus eſt;
Nunquam à Poſteris dignè laudabitur.

CHRONOLOGIA.

L*Vdouicus De Marſilijs*, quem Theologum periſſimum, & magni Virum Conſilij *appellat S. Antoninus* 3. *p. Hiſt. tit.* 22. *c.* 3. *natione Italus, Florentinus Patria fuit. Illum adhuc Adoleſcentem ſuſpexit Petrarcha, qui lib.* 15. *epiſt. affirmat, ſæpè ſe in ſilentio, & cum Amicis repetijſſe.* Puer iſte ſi vixerit aliquid magni erit &c. *Eà ſcientiæ apud omnes, & prudentiæ laude præcelluit; vt non ſolum ad ipſum diuinum velut Oraculum, vndequaquè, Poggio teſte, confluerent Ciues, ſed etiam inſigni eius prudentiæ, ac pietati grauiores Reip. cauſas commendare non dubitarent &c. plurimum illi certè Florentina Ciuitas debet, cuius nobilem iuuentutem liberalitèr erudiuit, & quò Præceptore, Robertus Roſſus, Nicolaus Nicolus, Ioannes Laurentij, alijque quamplures rem litterariam non minimè auxerunt. Fuit peracri iudicio, ac prudentià in paucis rarus; quem Patres ideò vbi-*

que

que mirabantur, ac ſequebantur[1]. Recti tenax nullo turbatus, coram Regibus, & legatis liberè orauit prò Eccleſiâ, prò Rep. prò æquitate, vt vbi ſuprà Antoninus effusè proſequitur. Florentinam Sancti Spiritus ingenti librorum copiâ locupletauit, quam etiam codicibus elegantiſſimis auxit Boccacius. Cum tandem Domi, foriſque Reip. ac Ordini præclarè iuuiſſet, obit anno 1389. & Florentiæ in Cathredali honoris causâ, cum Epigraphe hac tumulatur.

Florentina Ciuitas,
Ob ſingularem eloquentiam,
Viri Magni Luiſij de Marſilijs,
Sepulcrum ei publico ſumptù
Faciendum ſtatuit.

Scripſit Vetus, & nouum Teſt. carmine heroico in noſtrâ Florentiæ.

Quæſt. theologic.

Comment. diuerſa.

Sermones.

Epiſtolas, quæ in Laurentianâ, & Magliabecchij manuſcriptæ cuſtodiuntur.

TU ludo vincis ſemper, ſed viuere iuſtè;
Scribere facundè, luſio ſola tua eſt.

ELOGIVM XXXXXIX

BEATI BONAVENTVRÆ PATAVINI S. R. E. CARDINALIS, ET GENERALIS MAGISTRI ORDINIS.

LEMMA.

Bonauentura, dum pro Eccleſię libertate ſe ſe Carrarienſi Principi opponit, ſagittà ad pontem Ælium Romæ transfigitur. Ex Pamphilo, Herrerà, Ciaconio ad annum 1396.

OStro digna ſcribenda ſunt calame,
Oſtrum vbi Bonauentura non amittit,
Sed prodigit ſanguinem.
Romanà ille nobilis dibaphà, nobilior ſanguine,
Veſtitur duplicibus,
Et formoſus in ſtola ſua,
Vide quam Album, media charitate, præcinxerit byſſinum.
Byſſus, & purpura primum
Ornamenta mulierum eſſent,
Byſſo nunc Bonauentura ornatur, ac purpurà,
Cum palmam æquè, vel doctrinæ luce candentem;
Uel cruore purpuream ferat.
Innocentię Cādidatus pręſentia, vt pręterita oblitus,
Bona Uentura proſpectat,

Nèc

Nèc quia Doctor occubuit, timet,
Sed quia cecidit Martyr exultat.
Dealbent alij agni in ſanguine ſtolas ſuas,
Eas proprio purpuriſſat Bonauentura,
Et zelo æquè ornatus, ac murice,
Non ornatur, ſed purpuram ornat.
Loqui alibi auditæ ſint roſæ,
Nuſquam aliàs eloquentius
Petri purpura eſt elocuta.
Sagittarius Charitatis, & *Sagittatus*
Sagittarum ſuarum in lumine
Sagittas repulit Potentis acutas;
Et ſplendores in ſpicula exacuens,
Æque impios atramento conuicit, ac ſanguine,
Rubuit purpura nouo ſanguine madefacta,
Et nouum retinens oſtrum, antiquum non perdens,
Errores ſcientià confutauit, cruore perfidiam.
Fælix, qui ad purpuræ huius ardorem illuſtratus,
Preſentia viderit,
Fælicior, qui ſua *Bona Ventura* præuiderit.

CHRONOLOGIA.

B*Onauentura, Vnicus, teſte Ciaconio, libertatis Eccl. Aſſertor, ac Uindex Patauij ex illuſtri Carrarienſium genere naſcitur 22. Iunij.* 1332.

Adoleſcens tondètur in Monachum circà. 1352.
Athenas mittitur Pariſiorum, vbi Doctoratus ſuſcèpit inſignia, legitque decenniò. 1362.
Bononiæ Innoc. VI. mandante Theologorum Collegium erigit. 1364.
Arquati ad colles Euganeos in Petrarchæ funere orat. 1374.
Gregorij XI. iuſſù Legatione honoratur ad Regem Hunnorum. 1375.
Veronæ Prior Generalis inauguratur 17. *Maij.* 1377.
Cardinalis Inuitus, & abſens ab Vrbano VI. deligitur. 1379.
Plenus meritis Martyr occubuit 10. *Iunij.* 1388.
Romæ in Eccleſia Ord. iacet, vbi eius effigies B. titulo, & aureolà decoratur. Scripſit in 4. *Sent.*

Medit. in vitam Chriſti.
Speculum Mariæ Auguſtę 1476.
Vitas Sanctorum.
In Epiſt. Ioannis, & Iacobi.
Sermones ad Clerum.
De Sanctis.
De Tempore.
De Conceptione Virginis.
De Regimine Conſcientiæ.
Breuiloquium, & alia.

Graue de Bonauenturà dant teſtimonium Catharina Senenſis epiſt. 31. *Ciaconius, Papebrochius ad* 10. *Iunij,*

Junij, Corteſius, Volaterranus, Ricciolius, Bzouius, & noſtri.

PLus Oſtrò debere tuò romana fatetur,
Purpura, quam coccò debeat illa ſuo.

ELOGIUM LX.

BEATI SANCTI DE CORA IN LATIO.

LEMMA.

Sanctus in agris conciones habens nimbos expellit, & plura diù hominum millia ſolo Verbo Dei ſuſtentat. Ex Pamphilo, Cruſenio, Herrerà ad annum 1399.

DEſcende & Tù in Eremi planitiem lector,
Et Verbum vide quod factum eſt.
Sanctus potentiam Numinis
Inter paucos ęmulaturus,
Suò vim imbrium coercet imperio;
Et inſtar Numinis dicens, & faciens,
Vnde Verbo reficit mentem, inde pane corroborat cor.
Noua vox Verbi
In Eremum vrbes impellit,
Et vtrumque Hominem paſcens

Pane

Pane trahit, quos verbo non attrahit.
Vitæ eſſet olim principium panis,
Verè nunc pane in ſolo vita non eſt;
Cum vita etiam ſermo ſit Sancti.
O Sermo verè Euangelicus, & ignitus!
Ignitus, quia charitatis æſtuat igne,
Euangelicus, quia de Cælo.
Cecidit etiam nunc ſemen Dei in terram bonam,
Et Uerbi potentia, aut ſemen illicò panis,
Aut panis illicò factum eſt Verbum.
Verbum, homo. vt manducaret, factum eſt caro,
Verbum, homo nè eſuriret, euaſit, & panis.
Metunt, & colligunt auditores, vbi non ſerunt,
Et nè deſit miraculo nouitas,
Menſa in deſerto eſt ſinè panibus,
Et panes affluunt ſinè ſeminibus.
Pane intellectus mens ſaginata
Pane Vitæ reficit cor;
Et vbi populo rebellanti manna fit nauſea,
Fideli Euangelicum manna fit Verbum.
Perge lector
Et vide nè contradicas Sermonibus Sancti,
Hæc, & maiora, qui credidit faciet.

CHRONOLOGIA.

DE Sancto præter memoriam, & ſanctitatem nihil habemus, florebat ſub Tholomeo Veneto Ord. Ge-

ne-

nerali, vt ſcribit Cruſenius p. 3. c. 22. Herrera exiſtimat obijſſe circà ann. 1391. Coriolanus addit, quod Albatorum tempore claruit, & quod non ſolum, miram vtriuſque ſexus populi multitudinem, diebus plurimis ſolo verbo Dei corporaliter ſaturaret; Sed quod, quòuſque vox eius in agris prædicando audiebatur, imminentibus vbique in alijs locis tempeſtatibus ſummis, & imbribus abundantiſſimis, Eò vſque ſerenitas ſumma ſuprà omnem multitudinem perſeuerabat. Videatur Pamphilus ad ann. 1391. Bagatta, Torellius, &c.

ET docet, & paſcit vox Sancti audita per agros,
Fitque Cibus Populo, qui fuit ante ſonus.
Omnipotens ſermo formas ſe vertit in omnes,
Quod ſonat ipſe facit, quod facit ipſe ſonat.

ELOGIVM LXI
PAVLI VENETI DOCTORIS EXIMIJ, ET PROFESSORIS OXONIENSIS.

LEMMA.

Paulus ad pœnam ignis, cum Franciſco Porcario hæretico; Senenſi in Vrbe Certamen aggreditur, qui cum Pauli argumentis non reſponderet, debitum ex Senatus Conſulto ſupplicium luit. Ex Pamphilo, Bergomenſi, Cruſenio, Gratiano, Poſſeuino, Schedel, Herrerà ad annum 1428.

Scæ-

SCæuolam Chriſtianum mirare Viator,
Qui non in Porſenę caput,
Sed in Porcarij iugulum,
Ferrum torquens non argumenta,
Extremum hæreſi iugulandæ
Minatur excidium.
Paulus iſte
Anathema, & ipſe cupiens eſſe pro fratribus;
Spontè Fidei defendendæ
Gehennę ſe vouet,
Et contrà ignea tela nequiſſimi
Accenſus in fulmina
Hoſtem cremat non igne, ſed verbo.
Olim vox Domini in rubo
Intercideret flammam ignis,
Ignita nunc in eloquio Pauli Vehementius
Ingeminat prunas,
Et noua vi charitatis multiplicans fulgura
Igneam hæreſi, vſtulandæ *mutatur* in pluuiam.
Sacrum Athleta fortiſſimus,
Chriſti ſpiritù vegetatus,
Certamen aggreditur;
Et ſua peccatorem exurens à facie,
Luteam Animam ſagittis impetit,
Potentis acutis,
Et Verbis vſtulat ſinè carbonibus.

O di-

O dignum certè Deo ſpectaculum!
O Victoria, quà nulla Sanctior,
Nulla formoſior!
Curtios ſuos extollat
Poetarum ventoſa loquacitas,
Illi Gloriæ, ac Philautię decertabant,
Fidei Paulus,
Pallère omnes, horrère ſinguli
Ad Pauli periculum,
Cum ille charitatis impetù raptus
Nèc timeret, nec penderet ſuum.
Porcarij lutum conſumpſit
Ignis ſimul, & ignominia;
Aurum Pauli examinatum,
Probatum ſeptuplum flamma non attigit:
Aurum enim igne probatur,
Conſumitur lutum.
Ignes vtinam Viator in te accendat hic ignis,
Igne iſto Paulus arſit, vt fidem augèret,
Eodem arde tu nè deficiat.

CHRONOLOGIA.

Paulus, quem alij Venetum, Cretenſem alij, & Vtinenſem alij dicunt. Dialecticos omnes, & Theologos ſui temporis facilè vicit, teſte Spondano, Victùrus etiam omnes Præceſſores, ſi

paulò vixiſſet. Oxonij in Angliâ ſacris litteris operam dedit ann. 1390.
Italiam repetens Suggeſtù, & Cathedrâ maximè excellit, & Greg. XII. iuſsù totius Ord. licet inuitus Vicarius Generalis inauguratur. 1412.
Ferrariæ primùm. 1420.
Deindè Mantuæ, Prouinciæ Trauiſinæ Præfectus eligitur. 1421
Publicè in Acad. Bononienſi, Florentinâ, Patauinâ, Parmenſi, ac Peruſinâ ſacras, & humanas litteras docuit, & Senarum Gymnaſio præfuit. 1423.
Obijt Venetijs. 1428.
Patauium corpus translatum eſt, vbi iacet cum hac Epigraphe,

Hic iacet S. Theol. Doctor Clariſſimus,
Et Monarcha Philoſophorum,
Magiſter Paulus De Venetijs
Ord. Er. S. Auguſtini,
Qui obijt 1428. 15. Iunij.

Scripſit Doctiſſimus Vir.
Contrà Iudæos.
Summam de Naturalibus.
Sermones de Tempore.
Sermones De Sanctis.
Quadrageſimale.
De Concept. Virg.

De Incarnatione.
De Excellentia Verbi Dei.
In 4. Sent.
In octo Phyſic.
In libros De Generat. & Corrupt.
In libros de Anima.
In Metaphyſic.
Summam Philoſophiæ.
De Compoſitione Mundi.
In Prædicabilia.
In Prædicamenta.
In libros Poſter.
Logicam Paruam, & Magnam.
Quadraturam Circuli.
Super conſequentias Strodi.
Explicationem Dantis Aligerij.
Quæ ferè omnia ſunt publicata, & in noſtrà Patauinâ cuſtodiuntur, alia Paulo noſtro attribuuntur, ſed ea eſſe Pauli Seruorum Ord. Poſſeuinus apertè conuincit. Meminerunt Pauli cum laude Curtius in Elogijs, Creſcentius, Albericus, Leander, Schedel, Sabellicus &c.

PROGRAMMA.

Fra. Paulus Uenetus Doctor Oxonienſis. 2268.

ANAGRAMMA.

Ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Pſalm. 17. 2268.

ILle ego ſum Venetus, doctæ cui gloria pugnæ
Contigit, & pulchro *cingere* honore *caput*. [*]
Me ſine non poterant ſcelerata ſophiſmata ſolui,
Me ſine tartareo creuerat Hydra luto.
Defuerat Sophiæ, noſtræ quod deerat arti,
Nulli plus licuit ſcribere, nec melius.
Denique ſum Paulus famà ſuper æthera notus,
Hoc mihi perpetui Carminis inſtar erit.

[*] *Veneti enim Paulo, ob Doctrinę, & Victorię famam, vſum pileoli ſerici Nobilitatis inſigne dederunt, quod ad omnes etiam ibi Auguſtinianos extenſum eſt. Ex Florello in dictis, & factis Venetorum.*

ELO-

ELOGIVM LXII

IOANNIS DE ZACHARIA HVSSITARVM EXPUGNATORIS, ET CONSTANTIENSIS CONCILIJ PATRIS.

LEMMA.

Ioannes cum Huſſio ad pænam ignis certamen aggreditur, & in certaminis præmium pontificià roſà donatur. Ex Herrerà, Lancillotto, Trithemio, Sixto Senenſi, Milenſio ad ann. 1428.

ZAcharias
Non de ſilentio iudicandus,
Sed de loquelà,
Totus facũdià vocis, & charitatis erupit in fulmina.
Ioannes & hic Boanerges tonitrui filius
Voces ignis eructat in impios;
Et annoſa Viperarum latibula incendens
Vah quot ſilices verbi potentià,
Et peccatorum ceruices excuſſit!
Clamaret olim in Deſerto Domini Vox,
Nunc in Concilio Populorum deſerta concutiens
Auditur, & terret,

Et

Digitized by Google

Et terret dico, quia Ioannis à voce
Exprobantis, & obloquentis,
Pænales Huſſio accenſi ſunt ignes.
O ignes, quos non flamma, ſed charitas fouit,
Cum Ioannis ſpiritù accenſi
Orthodoxum probauerint aurum,
Et ſpuriam Huſſitarum recoxerint fęcem.
Collige quotquot potes Germania palmas,
Ciui tuo nunquam tot dabis,
Quot vno hoſtes ille deſtruxit in Huſſio.
Formidauerunt circumlatrantia Hæreſum capita
A voce tonitrui,
Unius cædes Triumphus omnium facta eſt,
Extinxit omnium odia vnius incendium;
Dum vnius Huſſij flammà
Omnium Boemorum extincta ſunt ſchiſmata.
Perge lector,
Et Zachariam diſputantem in roſà ne turbes,
Adhuc enim in Roſà hac conuincitur Huſſius.

CHRONOLOGIA.

Joannes inclytus Fidei Pugil, & Chriſtianorum palma certaminum Erfurti in Thuringià Monaſticam induit circà ann. 1378.
Oxonium ſtudiorum causà contendit. 1382.
Ibidem Sacri Doctoratus ornatur inſignibus. 1389.

Vnà

Vnà cum Theologis Ord. Conſtantiam pergit, vbi conuicto Huſſio, & Vſtulato; roſam auream à Romano Pontif. in victoriæ præmium accipit. 1415.

Aſtæ in Inſubriâ Generali congreſſui præeſt. 1419.

Thuringiæ, & Saxoniæ præfecturâ renunciatur. 1419.

Erfurti meritis, & pietate inſignis obijt. 1428.

Unde errat turpitèr Elſſius, qui ad ann. 1488. *eius obitum prorogauit, cum iam ætate prouectus, & Doctor in Conſtantienſi Concilio aſſederit ann.* 1415. *Illum iuſtis præconijs tollunt Grauina, Ludouicus De Caſa in Elog. Elſſius, Friſius, & omnes noſtri. Imago eius Herbipoli, teſte Milenſio in Alphabeto, cum roſà aureà in manù inter Eremi Dynaſtes, hoc Elogio eſt inſignita. Hic Homo magnæ ſanctitatis, cum immaniſſimo Hęretico Ioanne Huſſio coram Concilio Conſtantinenſi pro fide Chriſti ad ignis ſupplicium certamen aggredi voluit, quem, Deo propitio, ſuperans, igne cremari fecit, atque triumphum glorioſum reportauit.*

Scripſit in Geneſim.
In Exodum.
In Leuiticum.
In 4. Sent.
In Epiſt. Pauli.
In Apoc.
Sermones.
De Concept. & alia.

Et

ET rubet, & pallet natiuo murice tincta,
Quæ tibi Pontificis munere miſſa roſa eſt.
Iure rubet, merito quod non expalleat auro,
Pallet, quod merito non rubet illa croco.

ESt roſa quod cogitas, aurum quod differis. ergò
Auro digna potes dicere, digna roſà.

ELOGIVM LXIII

BEATI ANTONIJ AMANDVLENSIS.

LEMMA.

Antonius Nicolaum æmulatus Tolentinantem pænitentia, integritate, & ſanctitate in paucis eminet. Ex Pamphilo, Strambellio, Gelſomino, Mayayo, Torellio ad ann. 1450.

CÆlum Antonius
Expugnaturus violentià ſui,
Liberum tunc ſe dixit, cum Chriſto ſe addixit.
Lacte innocentiæ ad canitiem vſque nutritus
Candoris byſſinum, quod ſemel induit,
Exuit nunquam.

Pro-

Probitate ſemper Senex, *Malitiâ paruulus*
Talem ſe Senex agnouit,
Se qualem paruulus Eremo deuouit.
Ei, *qui paſcitur inter lilia*, vbique ſimillimus
Candori timens vel inter ſpinas,
Precibus Dęmonem fatigauit, verberibus Venerem.
Aceruus liliorum vallatus myrrhâ
infrà lilia nil myrrhâ charius,
Suprà myrrhàm nil pretioſius lilijs habuit.
Lilia alibi nutriantur ex agri pinguedine;
Ex rore lilium hoc incrementum omnes ſuſcepit;
Dum plus Cæli,
Quam Terrarum commercio fruens
Cęlum coluit, vt habitaret,
Terram Homines, vt erudiret.
Lilium verè conuallium,
Quod in tranſitù aquæ plantatum
Brumà quauis recrudeſcente perpetuò floruit,
Et non laborans, neque nens.
Sui vbique candoris meſſem reliquit & fructus.
Ambiat Sponſa Dilectum
Sicut lilium inter ſpinas
Antonium patientia Sponſum ſuum
In ſpinis enixa, in ſpinis aluit, in ſpinis induit,
Perfecit in ſpinis.
Fęlix, qui lilij huius odore trahitur,
Et candore tenetur,

Fęlicior, qui ab eodem
Et olère, & candère didicerit.

CHRONOLOGIA.

ANtonius illuſtre ſanctitatis Exemplar apud Picenos Amandulæ natus 17. Ianuarij. 1355.
Tondètur in Monachum. 1375.
Tolentinum accedit, & Nicolaum æmulatur Tolentinatem. 0000.
Amandulam repetit, & æra Campana in eius reditù ſpontè pulſantur. 0000.
Plenus meritis, & miraculis diem obit ętatis ſuæ 95. 25. Ianuar. 1450.
Amandulæ iacet, ubi adhuc corpus eius illæſum eſt, & publicè colitur. Tradunt, quod ſæpè in Choro poſt obitum cum Fratribus cantare ſit viſus, & quod ſæpius Chori campanulà, eoſdem accerſierit ad Matutinum. Videatur Torellus, Gelſominus, Elſſius, & Palmerius in eius vità.

ANtonius pluuias paſſim, ac ſerenum Amandulæ impetrat.

TE gemit Antoni Cælum, ridetque viciſſim,
Teque volente pluit, teque volente tonat.
Iuppiter aut Cæli iunxit commercia tecum,
Iuppiter aut Cæli ſubdidit Aſtra Tibi.

ELO-

ELOGIVM LXIV.

B. RITÆ DE CASSIA

LEMMA.

Apum Examen in Ore Vagientis Rita mellificat. Ex Pamphilo, Bzouio, Herrerà, Curtio, Cruſenio ad ann. 1456.

Rita mellis, quam lactis auidior
Mel prius habuit in ore, quam lac.
Suada Eremi
Candori lactis ſuauitatem confœderat mellis,
Et loqui neſcia profundit ambroſias.
Omnes Apis argumentoſa *collectura myrrha racemos*
Paſſo in cunis Amori mellificat;
Et amoris metamorphòſi,
Quò plus mellis, plus appetit fellis.
Melleus Animus
Agni abſynthio ſaginandus paſcitur fauis,
Et mel æquè inter vbera ſugens, ac fel,
Unde melle madet in cunis,
Inde abſynthio manat in Cruce.
Futuram *Ager mellis* indicat meſſem,
Cum ſpinarum vallo circumdatus
E petrà mel, & è ſpinis protulerit flores.

O' pulchrum mellis cum lacte concretum.
O' verè pari pulchritudine ſpinas, vt roſas!
Opprobrijs animus ſatiandus delicijs vacat,
Et ſpinis olim cruciandus
Nutritur in floribus.
Melle fortior appetit fel,
Et vnde alij luxum, Rita robur acquirit, & vincit.
Perge lector,
Et hæc crepundia accuſa, ſi potes,
Cadendi hæc alijs initia fuerint,
Ritæ agendi, & patiendi præludia ſunt.

CHRONOLOGIA.

R*ita, & abſque* Sincope *Margarita Roccbæ Torrenæ Caſſiæ oppidulo, in Vmbria nata circà.* 1386.
Viro tetrico, & feroci nuptui traditur. 1398.
Occiſo Coniuge Monaſticam quærit, & reiecta à Monialibus vi in Caſſię Parthenonem introducitur ab Auguſtino. 1418.
Chriſti dedita cruciatibus, ab eodem ſpinâ carneà in fronte transfigitur. 1450.
Plena meritis, & miraculis diem obit 22. *Maij.* 1426.
Illam Vrbanus VIII. Beatæ honoribus, & officio decorauit. eius corpus etiam nunc intactum, ac candidum, imò carneum, & odoriferum perſeuerat, & ſolemnitèr colitur

litur

Digitized by Google

litur Caſſiæ. Veſtes item, cum quibus primò ſepulta eſt, intactæ ſeruantur. Eà in Hiſpaniâ totâ miraculorum famà reſplenduit, vt paſſim Sancta appellètur impoſſibilium. Quotiès eius natalis eſt, aut ab Antiſtite viſitatur, ſtatim ad Arcæ, in quà iacet, Summum aſcendit, & tamquam viueret, fronte hilari, apertis oculis videtur, aut videt. Errauit Torellus, & alij qui mortem eius citrà plus retrahunt, vt fusè, ac doctè oſtendit Henſchenius. Agunt de eà tabulæ Eccl. ad 22. Maij, Cobelluccius, Curtius, Iacobillus, Ferrarius, Gelſominus, Fraxinellus, Sanmartinus &c.

Tempora, quæ paſſi quondam transfixit amoris
Spina, meas vtinam figat amica Comas.
Non mihi ſerta placent leni ſtringentia dente,
Non facit ad crines blanda corôlla meos.
Dona Coronati patior dum ſpinea Regis,
Fert roſa mi ſpinas, fert mihi ſpina roſas.

ELOGIVM LXV

B. CHRISTINÆ VICECOMITIS.

LEMMA.

Chriſtina Chriſti vulnerà intensè contemplans ferreo ſibi Clauo tranſuerberat pedes. Ex Pamphilo, Herrerà, Cruſenio, Curtio ad ann. 1458.

Iabe-

IAbelem *Chriſtianam adora* Viator,
Quæ in Iabin armata tartareum
Non ferro tempora Siſaræ,
Sed ferreo ſibi clauo tranſuerberat pedes;
Prudentiſſima Fęminarum
Labore, & ſanguine ſuo
Domum Domino orditur à baſibus,
Et vt contrà Hoſtium impetus tutiſſima ſit,
Ferreis illam compaginat ſeris.
Faſtos Reipublicæ dies
Aureis conſignaret antiquitas clauis,
Neſaſtos Chriſti dolores,
Non auro, vel cedro,
Sed carnis laminà, & ſtylo ferreo
Chriſtina Sigillat.
Legeram primò Paſtores
Sua corticibus arborum inſcripſiſſe deliramenta;
Suis Chriſtina Malleatrix ingenioſa
Dolores Sponſi incidit in plantis,
Et clauum, amoris ſtratagemmate, clauo contundẽs
Verè Serpenti clauus in oculis,
In lateribus lancea fuit.
Conſige lector & Tu pedes tuos
Timore Chriſtinę.
Proh ſi claudam duxeris Virginem.
Proh ſi ſequèris

CHRO-

CHriſtina Mediolani ex illuſtri Vicecomitum genere nata. 1435.

Flagris aſperrimis, & cilicijs in ſe deſæuit. 1440.

Decennis nuptui à Parentibus deſtinatur. 1445.

Eremum domo relictâ petit. 1445.

In Eremo tranſacto decennio Romam Dei iuſſu contendit. 1455.

Ferreo ſibi clauo tranſuerberat pedem. 1456.

Signis clara migrat ad Sponſum, Spoleti 14. Febr. hora 15. ætatis ſuæ 23. 1458.

Errant Elſſius, Cruſenius, Pamphilus, & alij, qui eius obitum citrà plus retrahunt; cum annus mortis clarè conſtet ex inſcript. Spoleti poſitâ, vt ſcribit Henſchenius. Eius corpus etiam nunc iacet Spoleti tractabile, & integrum cum cilicio, & flagellis ſanguine quaſi recente manantibus. Agunt de illa Iacobillus de Sanct. Vmbriæ, Arturus, Coranus, Montaltus, & alij.

PROGRAMMA.

B. Chriſtina Vicecomes Ord. Eremitici Sancti P. Auguſtini. 2170.

ANAGRAMMA.

Confige timore tuo Carnes meas, à iudicijs tuis timui. Pſal. 118. 2170.

Læta

LÆta Crucifixi ſequar vt veſtigia Sponſi,
Fige tuo, carnes, Chriſte, timore meas.

EPIGRAMMA.

PErfida cum Siſaræ fixiſſet tempora Iahel,
Hoſpitis inuicti cæde verenda fuit.
Collum itâ tartareæ Chriſtina vt perculit Hydræ,
Calcata eſt Colubri fronte timenda magis.
Vicerunt ambæ. Chriſtinæ at gloria maior,
Vincere ſe plus eſt, quam domuiſſe Duces.

ELOGIVM LXVI

BEATI ALEXANDRI OLIVÆ GENERALIS MAGISTRI ORDINIS, ET S. R. E. CARDINALIS.

LEMMA.

Alexander nouæ à Deiparâ redditur vitæ, verbo, & exemplo Populorum componit odia, renunciatur Magiſter Ord. abſens, & neſciens à Pio II. Cardinalis inauguratur. Ex Panuinio, Gelſomino, Curtio, Bergomenſi ad ann. 1463.

Oli-

O *Liuam vberem* , ſpecioſam
Mirare Viator ,
Quæ Eremi in vertice
Nata miraculis , nutrita miraculis
Ditiores Eremi conualles
Sui fęcundauit pinguedine olei .
Oliuam igitur hanc , ſi in Umbrię collibus
Generatam exiſtimes , erras ,
In campis illa filiæ Syon
Marię lacrymis abluta ſuccreuit ,
Et *in bonam* creſcens Oliuam
Proh quot palmis Eremi circuitum ,
Et oliuarum nouellis impleuit !
Extulit ſe *foliorum varietate* nobilis arbor ,
Et Cęlo domeſtica
Eremi arundines ad Cedros Dei ,
Et ad Cęlum propagines duxit .
Audierunt Heſperię littora
A' longè facundiam ,
Et ardente charitate , bellis extinctis ,
Nouę in Populos affluxère vindemiæ pacis.
Repullulauit vbique vireſcentium ſepe baccarum
Coronata Seges Eremi ,
Et aquis madefacta , igne ſuccenſa
Aurum prælijs extinguendis *eduxit è ferro,*
Oleumque de Saxo duriſſimo .

Denique vltrà non habens
Quà pacem ſereret, aut bellum auferret,
Ornamentum potius attulit,
Quam referre poſſet à purpurà,
Cum non purpura Alexandrum,
Sed Alexander ornauerit purpuram.
Sępe Eremo Nouellas iſtas Maria parturiat,
Nullum erit in Terrà diluuium,
Quamdiù hę nobis *Oliuæ* floruerint.

CHRONOLOGIA.

Alexander Magnum Ordinis, ac Pontificij Collegij decus Saxoferrati in Umbrià naſcitur. 1407.
Trimus immerſus in aquis, amiſſę ope Virginis redditur vitæ, & ſeptennis ingreditur Ordinem. 1414.
Bononiæ ſacræ facultati operam nauat. 1431.
Deinde Auguſtæ Peruſinorum. 1433.
Vbi etiam Magiſtrali donatur laurea. 1437.
Marchiæ Anconitanæ Præfectus eligitur. 1439.
Deinde Congregationis Peruſinorum. 1453.
Italiæ ſub Iuliano de Salem Vicarius Generalis inauguratur. 1456.
Tolentini, quamuis inuitus, totius Ord. præfecturæ initiatur. 1459.

Senis

Senis à Pio II. non Romę, vt ſcribit Elſſius Cardinalium numero adſcribitur 13. *Martij*. 1450.

De Ordine tandem verbo, doctrinà, & exemplis optimè meritus obijt Tibure 21. *Iulij ætatis ſuæ* 55. 1463.

Corpori Romam delato ad D. Auguſt. non abſque ſummo Pij II. mærore & Romanorum eſt parentatum, vbi iacet cum hoc Epitaphio.

Alexandro Oliuæ Saxoferratenſi
Theologo clariſſimo Erem. B. Auguſtini
Ab Infantià ſpei maximæ Alumno,
Qui cum eſſet ſui Ord. Generalis
Ob ſingularem doctrinam, & ſanctimoniam
Cardinalis à Pio II. Ignorans creatus eſt.
Vixit annis 55. obijt anno 1463.

Vnde errat Elſſius, qui eius ad decennium mortem extendit. Scripſit pijſſimus Doctor De Chriſti Ortù Sermones 100.

De Cęnà cum Apoſtolis factà.
De Peccato in Spiritum Sanct.
Orationes, & alia.

Summis illum laudibus tollunt Gobellinus in Comment. Pij II. Spondanus, Raynaldus, Donius, Marraccius, Poſſeuinus, Corteſius, & omnes noſtri.

A*Lexander Ancònæ, Florentiæ, & Senarum bella componit.*

MOllibus Alcidem Gallos vinxiſſe catenis,
Legimus. accepit fabula priſca fidem.
Horrida Alexandri ſiluerunt tympana nutù,
Et tela iniuſſà contremuère manù.
Quà libet Alcides linguà trahat agmina Gallus,
Quà libet Alcides attrahit Italicus.

ELOGIUM LXUII.

BEATI ISAIÆ CRACOVIENSIS THEOLOGI EXTATICI, ET MARIANI.

LEMMA.

Iſaias ante aram Virginis in extaſim raptus carmen illud
Eccleſiæ cantat, Aue Regina Cęlorum &c.
Ex Pamphilo, Poſſeuino, Cruſenio
ad ann. 1471.

TVa obliuiſcere cantica Syon,
Et audi amore quę Duce,
Suę Iſaias Dilectæ cantauerit.
Eremi Cygnus, amores Iſaiæ cum nomine adeptus
Erupit in cantica,
Et pſallens ſpiritù, pſallens, & mente,
Vnde mente excedit, Deo
Inde ſpiritù, pſallit & nobis.

Cal-

Calculo olim ignito
Prophetæ loqui neſcientis flammeſcerent labra,
Igne & illo, qui in altari deſuper eſt,
Iſaiæ flammigerat cor,
Et luce amictus vt veſtimento
Laudis penſum Deiparę libat, & laudes ignis.
De ſuo quidquid fabulètur Orpheo Poëſis:
Cœlum vocibus delinire Iſaię ſuauitas potuit.
Prophano primum doceretur amore muſica,
Diuino nunc diſcitur;
Cum Cantoris iſtius vox
Sit feruor Amoris.
Corpus, quod corrumpitur aggrauet animum,
Corpore leuior Iſaias pondere aſcendit,
Et pennas ſuprà ventorum raptus
Proh quam altè volauit, & vidit.
Vbi ergò peccati lex?
Cum premente peccati ſarcinà
Tam leue ſit corpus,
Et carnis in vinculis ſine carne mutetur in ſpiritum.
Ità corporeus Angelus incorporeos cantù delinijt,
Ità Angeli ſapiētèr cantant Uirgini audiri ſi poſſet.
Redi, & rectius cane Viator,
Tam doctè, & Tibi liceret canere,
Æedem Tibi cum Iſaià ſi extaſes eſſent.

CHRO-

ISaias Bonerus gente, Patriâ Cracouienſis naſcitur anno 0000.

Patauij ſub Auguſtino Rom. Theologiæ operam nauat. 1422.

Sacræ Facultatis ornatur inſignibus, & in Comitijs Bauariæ præeſt. 1452.

Reuerſus in Patriam totum ſe pietatis operibus dicat, & miraculis clarus, & meritis Cracouiæ obit 8. Febr. 1471.

Ante & poſt obitum ſanctitatem ſignis oſtendit, & in Poloniæ Tutelarem adſcriptus eſt. 1617.

Scripſit Piiſſimus Doctor in 4. Sent. errat Elſſius ſcribens anno 1412. Iſaiam Concilio Lugdunenſi interfuiſſe, cum illud tanto antè celebratum Concilium ſit. Agunt de illo cum laude Bollandus, Torellus, Elſſius, Martinus Baronius in eius vitâ, &c.

AVrea Virgineæ pangis dum cantica Matri,
Diuino ò quantum carmine, & arte places!
Currere ſydereus diſcit te dulcius æther,
Te magis & ſpheræ quà modulentur habent.
Orphei quid meruit plectrum, quid Apollinis arcus?
Hæc Agno, hæc Sponſæ pſallere digna chelys.

ELO-

ELOGIVM LXVIII

BEATI SIMONIS A' CAMERINO ORATORIS EXCELLENTISSIMI CONGREGATIONIS DE MONTE ORTONO INSTITVTORIS.

LEMMA.

Simon grauiſſimum, ac longum bellum inter Rempublicam Venetam, & Mediolanenſium Ducem componit. Ex Egnatio, Ripamontio, Bzouio, Volaterrano, Herrerà, Cruſenio ad ann. 1478.

HVnc, quem deſpectum Virorum,
Et Aulę iocum credideras lector;
Noſtrę olim lumen Eremi,
Et Heſperiæ Columen fuit.
Camertinas Simon hic eſt,
Qui longo, & horrido Marte;
Gemente Italià, oppreſſis Venetis, feſſis Inſubribus
Bellum ſolus eliminare,
Pacem ſolus afferre potuerit.
Pacem fruſtrà precari Cęſarem, fruſtrà Pontificem,
Quam tamen Aula vbique ſtupente,

Et

Et fremente reſtituit Simon.
Quiquid de ſuo fabulètur Mercurio Antiquitas;
Linguæ huic omnes Italorum litandæ ſunt,
Linguâ cuius omnium ferè Italorũ litata ſunt odia.
Alas ille geſtaret in capite; pennas in pedibus
Mercurius iſte, charitatis irritamento,
Pennas etiam ſuas aſſumit,
Et alatus veluti Cherubim
Non ventorum, ſed amoris circumvolat pennis.
Simon Terræ verè Zelotes exeruit ferrum,
Et zelo quaſi flammà conuerſus in fulmina
Hoſtem vincit non ferro, ſed verbo.
Bar Iona Columbæ ſimillimus
Armorum imbribus finem imponit,
Et Oliuam deferens pacis
Pacem ponit Heſperiæ fines.
Pallère ſinguli ad Ducis aſpectum,
Timère furentem,
Cum Oratoris ad lacrymas gemente furore,
Gemens quoque ſuccumberet Dux.
Erubuère Aulici factum,
Quod ipſi facere nequierunt;
Gauiſa eſt tamen vndique Italia,
Fieri poſſe quod factum eſt;
Cum ima ità Eremi ſelegerit Deus,
Vt confunderet ſic Sapientes.
Sile Muſa,

Et

Et Simoni Caduceatori calamum lita,
Mercurio enim præſente, & loquente ſilendum eſt.

CHRONOLOGIA.

S*Imon* Corona Oratorum *temporis ſui Camerini in Vmbrià natus.* 1392.
Adoleſcens tondètur in Monachum, & ſacris litteris operam nauat. 1412.
Mantuæ Generali congreſſui intereſt. 1434.
Initium Congregationis meditatur De Monte Ortono, quam primò Eugenio IV., & Laurentio Iuſtiniano approbante, moderabatur. 1436.
Eius opera inter Uenetos, & Franciſcum Sfortiam Ducem Mediolanen. conficitur pax. 1454.
Veneti ob initæ memoriam pacis Murani Templum ædificant, & Ordini donant. 1455.
Meritis plenus, & annis in Cœnobio Montis Ortoni decubuit 12. Martij. 1478.
Diù eius corpus obſequio Populorum expoſitum iacuit, & ibi cum hoc Epitaphio conditum fuit.

Oſſa R. P. F. Simonis De Camerino,
Ord. Er. S. Auguſtini,
Qui temporibus ſuis,
Fuit Corona Prædicatorum.

Summa laudum ipſius eſt, teſte Æneà Syluio, & Egnatio, Sanctitas, & integritas diù probata, & quod eò ve-

venerationis, & famæ deuenerat; vt ei Duces, & Principes contradicere non auderent. Pacem inter Franciſcum Sfortiam, & Uenetos inijt, quam neque Nicolai U. authoritas; neque Regum preces, & Ducum obtinère non potuerunt, vt ſcribit Egnatius libro 2. Mirificè ipſum laudarunt Bergomenſis ad ann. 1454. Ægid. Viterbi. in Hiſt. manuſcriptà, Fulgoſus, Creſcentius &c.

QUod neque Pontificum lacrymæ, nec Cæſaris arma,
Hoc Monachi voces, hoc potuere preces.
Sic humili cedunt arcus, & ſpicula zonæ,
Sic Auguſtini Martia parma Sago.
Ergo ſui laudes Alcidis Gallia iactet,
Quæ Gallo affingit fama, Latinus habet.

ELOGIUM LXIX

BEATI CHERVBINI AVILIANENSIS.

LEMMA.

Lilia ex corde Cherubini diù ſepulti, in puritatis indicium germinant. Ex Filippo Elſſio, De Lacerda, Herrerà ad annum 1479.

CHerubim hunc,

Quem

Quem forma hominis inſpicis tectum ;
Habitu Viſus vt homo, innocentià Cherubim fuit.
Rethor nouus in Schola Crucis,
Liliatam Vitæ periodum
Orditur, vt deſinit,
Et priſca ex corde germinans Lilia,
Non effundit, *ſed parturit flores*.
Volaret *olim ſuper Cherubim*
Spiritus Domini,
Suum Cherubim huius in corde,
Tentorium fixit;
Cuius reclinatorium candor,
Purpura aſcenſus,
Non manù, *ſed corde pleno*
Multiplicat Lilia.
Diù Chriſtus Animam hanc
Dilectus incoluit,
Et ortam in Lilijs, adultam in Lilijs,
Sepelit in Lilijs.
Innocentię Candidatus
Candoris byſſinum veſtiuit, vt perijt,
Et Narciſſi citrà commentum,
Morte non abijt, migrauit in florem.
Odor Chriſti in omni loco,
Liliorum Vallatus areolis
Suum vel Cherubim hîc
Lilietum inuènit in tribulis,

Et vbi alijs mors eſt brumæ principium,
Veris huïc initium fuit.
Diſce lector, innocentię ſtratagemmate,
Vitæ florent opobalſama in loco mortis,
In tumulis Lilia.

CHRONOLGIA.

CHerubim Natione Pedemontanus, Patrià Auilianenſis, ex illuſtri Teſtarum familià natus, Auilianæ tondetur in Monachum. 1452.
Virginitatis Amator, illam illibatam perpetuò coluit, ideòque ipſum cum lilio, quod ex eius cadauere floruit, tamquam ſymbolo puritatis, Pictores effingunt. Obijt Auilianæ miraculis clarus. 1479.
Beati titulo, & aureolà decoratur. Agunt de illo omnes Scriptores Ordinis, & Hiſtorici Pedemontani.

PROGRAMMA.

Pater Cherubim Auilianenſis Ordinis Eremitani. 1658.

ANAGRAMMA.

Iuſtus germinabit ſicut lilium. 1658.

Spar-

Digitized by Google

S*Targe aliò flores, vrnà hic ſunt lilia plena,*
Dum mihi ſunt flores oſſa, corolla cinis.

ELOGIUM LXX

SANCTI IOANNIS A' SANCTO FACVNDO.

LEMMA.

Ioannes Chriſtum in Altari frequentèr videt, & Salmantica bella componit. Ex Bollando, Herrera, Cruſenio, Elſſio ad annum 1479.

QVi Ioannis imaginem vides,
Quid niſi modeſtię, & puritatis imaginem videas?
Puritas ità in Cęlis Agnum ſequitur,
Si videretur.
In terris ità modeſtia loqueretur,
Si loqueretur.
Internam vtinam poſſet
Penicillus exprimere formam,
Nulla ſplendidior hàc
In Eremo tabella ſplendeſceret.
Extendant alij in porticù fimbrias,
Et amplificent philateria,

Quæ-

Quæuis Ioannis diſputatio de Cęlo eſt,
Quia quæuis vno Euchariſtico vidit in Verbo.
Intus ille in Scholà cordis
Bibliothecam fecerat Chriſti,
Et in illà diù quę ſcriberet,
Quę oraret, audiuit in Cęnà.
Æquè ergò dilectus, ac doctus
Scripturæ ſecreta Seruatòris potauit è latere;
Et Ceruus Velut emiſſus
Dans eloquia pulchritudinis,
Vah quot nobis arcana Uerbi,
Et arcanorum ſecreta communicat!
Eremi Beniamin in mentis exceſsù
Uiſiones Uidentis audiuit,
Et ſcriba in lege doctiſſimus
Non ad pedes Gamalielis,
Sed Saluatoris oracula didicit.
Prophetę olim *in fortitudine cibi ambulanti*
Recluſæ ſint nubes,
Ioanni in aſcensù Altaris Sancti
Aperti ſunt Cęli,
Et currù non ignis, ſed charitatis
Aſcendit ad Cherubim.
Nouæ odio Nouercali bacchentur Eumenides,
Et fræno infremat Bellona ſanguineo,
Fiduciarius Angelus
Agni adipe Saginatus extinguet incendia,

Et

Et inter mortuos ſtans, ac viuentes
Pacem ponet Eccleſiæ fines.
Ità Dei Sequeſter, ac hominum,
Cum inter homines nil tractaret,
Niſi Diuinum,
Inter Angelos nil humanum,
Ad Cœnam nuptiarum Agni migrauit
Anno 1479.
Fęlix, qui Chriſto Præceptore diſcere meruit,
Fęlicior, qui, quæ didicit
Et docere, & implere meruerit.

CHRONOLOGIA.

IOannes genere Hiſpanus, Patrià Sabaguntinus, non Saguntinus vt malè quidam ex noſtris ſcribit, Diçceſis Legionenſis è ſterili naſcitur 24. Iunij. 1430.

Infans ſuperiori è loco declamat, & Puerorum eliminat rixas. 1437.

Grammaticæ, ac Dialeticæ operam nauat. 1442.

Burgum accedit, & Sacerdotio initiatur circà ann. 1450.

Burgo Salmanticenſes Athenas migrat, & inter S. Bartholomæi Collegas excipitur 25. Ianuarij. 1452.

Canonum Studijs, & Concionum totus incumbit,

prò

prò Salmanticæ pace laborat, & Baccalaurei donatur inſignibus. 1426.

Morbo calculi liberatur, & in Cęnobio Salmanticenſi, Sanctorum, teſte Ægidio De Auila, Seminario cucullam induit 18. *Iunij.* 1463.

Voto ſolemniter ſe obſtringit 28. *Auguſti.* 1464.

Deinde poſt menſes octo Magiſtratù inſignitur Nouitiorum, & Caſtellæ Definitor 6. *Maij.* 1465.

Honorem habuit quoad vixit Definitoris, quod in Ordine rarum eſt, & Antiſtes renunciatur Salmanticenſis. 1471.

Vita, miraculis, prædicatione clarus occumbit, veneno propter Verbum Dei à Muliercula infectus ætatis ſuæ 49. 11. *Iunij ad primam noctis.* 1479.

Eius miraculorum examen inſtruitur, vt antè prædixerat. 1489.

Beati à Clem. VIII. donatur aureolà, & in Patronum Salmanticæ aſſumitur. 1602.

Sanctorum Catalogo ab Alex. VIII. inſeritur 16. *Octobr.* 1690.

Ex Bulla Canonizationis, & Vitæ Scriptoribus, vnde turpitèr errat Bollandus cum ſuis, qui eius Natalem, & ætatem ſuprà protendunt. Videatur B. Ioannes Hiſpalenſis, qui illius primò vitam conſcripſit, Alphonſus De Oroſco, Antonilius, Fraxinellus, Maigretius, Boxius, Vergaria &c. Henſchenius, & Valaurius addunt eum apud Indos ergà Joannem De Sahagum,

hagum, & Nicolaum Tolent. cultum florere; vt ſolum hunc Mexicani, illum Peruani ex Diuis Tutelaribus agnoſcant, & colant; eorumque natalem diem ad menſes quatuor continuò celebrent.

PROGRAMMA.

D. Ioannes Sahagum Ordinis Eremitici. 1118.

ANAGRAMMA.

Hic poſuit fines tuos pacem. Pſal. 147. 1118.

PROGRAMMA.

Ioannes De Saagum Auguſtinianus. 1570.

ANAGRAMMA.

Vidi ego Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea Geneſ. 32. 1570.

EPIGRAMMA.

MOribus, an verbo Populi diſcordia iungas,
Ambigo, ſic Populo verbo, & amore places.

Quod

Quod bibis, igniuomo ructas è pectore Verbum,
Arcus cor, telum vox, Iaculator Amor.

Aliud.

O*Liuæ arbor Ioanni ſe ſe inclinat.*

O*Rphei Maurorum raptas ad carmina Syluas*
Legimus. At perdit fictio priſca fidem:
Facundi cedunt Orphei mendacia geſtis,
Facta eſt, quæ fuerat fabula, prodigium.

ELOGIVM LXXI.

BEATI ANDREÆ A MONTE REGALI.

LEMMA.

Andreas, dum anno 1691. *Samnium terræmotu* concuterètur, *manus in modum orantis* extollit *è tumulo. Ex Simpliciano, Pamphilo, Cruſenio, Herrera, Elſſio ad annum* 1480. 22. *Aprilis.*

E*Leuatam in Monte hoc,*
Manum Domini attende Viator,

Et

Et *vide cui brachium Domini eſt reuelatum.*
Caue ergo ne in Vrna hac
Dormitare *credas Andream;*
Non oraret, dormire ſi poſſet.
Fideliſſimus ille Paſtorum,
Excubias adhuc agit in nocte;
Et manù vtràque in Expugnationem Erebi pugnâs,
Incurſus Tenebriònum retundit in *porta.*
Gemuerint hactenus Gigantes ſub aquis,
Auguſtinianæ Atlas Eremi
Nullo pondere fatigatus aſſurgit in prælium,
Et victrices eleuans palmas,
Orbem regit non dorſo, ſed manibus.
Mirentur alij, quod primò hic leuauerit manus,
Mihi, non quod leuauerit nunc,
Sed quod nunquam *leuare* deſierit, miraculum eſt.
Leuauit perpetuò ſe ſuprà ſe,
Et volauit Cherubim hic,
Et quia in manù eius oblatio
Extinxit incendia.
Nouos furor exerat enſes,
Et exacuat ira romphæam,
Nihil Orbi timendum eſt,
Vbi etiam in Monte hoc
Contra Amalec eſt Moyſis manus.
Perge Lector,
Et orare volentem ne turbes,

Adhuc enim cum manù ſua
Digitus Dei vigilat hic.

CHRONOLOGIA.

ANdreas Italus natione Maſciùni Oppidulo Montis Regalis, non Ciuitatis, vt ſalsò ſcribit Henſchenius, Reatini Epiſcopatus, in Vmbriâ naſcitur. 1397.

Septennis occupatur in Ouium curà. 1404.

Tondetur in Monachum. 1411.

Sacerdotio initiatur. 1421.

Inuitus, & inſcius in Comitijs Mon. Peſſulanis Magiſtrali donatur laureà. 1430.

Reate in Comitijs Vmbriæ renunciatur Prouincialis. 1444.

Iterum Prouincialis renunciatus. 1453.

Erat Regens ſimul, & Prior S. Auguſt. Senarum. 1459.

Denuò Prouincialis inauguratur. 1471.

Prophetiæ ſpiritù plenus dormiuit in Domino Mon. Regali 18. Aprilis. 1480.

Ærà campana in eius obitù nullo pulſante per horas integras 24. edidère lætitiæ ſigna, & Angelicum melos auditum. Corpus ſuprà 30. dies colore viuido, & odore pietati Conuenarum expoſitum iacuit. Miracula edidit inhumatum ſuprà 27. inter quæ illud inſigne, quod exanimem manum erexit, & Mulieri ſupplici be-

benedictionem largitus eſt. Vidimus nos, cum Aquilæ eſſemus corpus eius adhuc illæſum, cum manù dexterà eleuatà, quam nunquam depoſuit. Anno 1691. terræmotù in Veſtinis deſæuiente, coram omnibus manus erexit, pectus, caput in modum orantis. Miraculorum proceſſus Sixto IV. oblatus eſt, & in Cœnobio aſſeruatur Mon. Regalis. Beati aureola, & titulo fruitur, maiori propter miracula, quę quotidiè operatur, honore dignus. En Epitaphium.

B. Andreæ Ord. Erem. S. Auguſtini de M Regali
Magnis, & innumeris in diem miraculis
Integrum hic quieſcit corpus,
Qui Vitę Sanctitate, corporis aſperitate,
Doctrinà Catholicà, & mellifluà prædicatione,
Miraculorumque magnitudine,
In totius Italię, Galliarumque vrbibus fulgendo;
Dilectus Deo, & Hominibus
Religioni honori, Patriæ ornamento, Prox. vtilitati
Per 50. annos continuos Verbum Dei prædicans,
Magno fuit, eſtque adiumento.
Obijt anno 1480. ætatis ſuę 83.

Agunt De illo Sanctius Riccetelli in eius vita, Henſchenius, Sanmartinus, Coranus, Dielmannus, Herrera &c.

PROGRAMMA.

D. Andreas De Monte Reali Ordinis Eremitani. 1135.

ANA-

ANAGRAMMA.

Manibus in Cœlum elatis orat. 1135.

EPIGRAMMA.

HErculeæ cedat celebrata potentia clauæ,
Cedat Atlanteæ fama ſuperba manus,
Vidimus informes palmas attollere buſtum,
Vidimus ardentes ore micare faces,
Nec ſe ſe iactet mendax Atlante vetuſtas,
Illa illa exanimi vidimus acta manu.

ELOGIVM LXXII

BEATI ANTONIJ DE AQVILA.

LEMMA.

Antonius etiam nunc ſigno quaſi mallei ſuper incùdem, Moniales Auguſtinenſes S. Luciæ De Aquilà præmonet, vt morti ſe præparent. Ex Philippo Elſſio, Bzouio, Neuio, Herrera ad annum 1482.

SOmno ſurgite, & aptate

Sa-

Sacræ Virgines, lampades veſtras,
Sponſi Cęna parata eſt,
Et Sponſi *Pronubus* inuitat ad nuptias,
Manù, & malleo velut æs ſonans
Sponſi Amicas, Sorores ſuas,
Vigilare pręcipit Frater;
Ne ęſtù Charitatis refrigeſcēte, dormitent in morte,
Et ſecunda vincantur à ſomno.
Diuidat Fratres amarà mors,
Suis vinculo fortiori Charitatis vnitur Antonius,
Vt iungat ſpiritù, quod ſeparat mors.
Credebam ego, quòd alij
Mortem omnibus fortiorem,
Sed fortis Charitas in Antonio vincit vt mors,
Neque flumina obruunt illam.
Flammas etiam Cinefactus accendit in ſuis,
Et ſigno hoc, militari veluti buccinà,
Certamen indicens,
Filias lucis contra fortiſſimos tenebrarum
Irritat ad pugnam.
Eremi Iubal ęſtù vehementi
Eamdem ſemper tundit incùdem,
Et noctes tranſigens quaſi diem,
Suum vigilijs conſummauit, & inchoat opus.
Virgines Domini oculorum ſuorum pupillam,
Argus nouus cuſtodit è Cęlo;
Et vt *ignea tela nequiſſimi prudentes extinguant,*

San-

Sanctus ſimul aſſiſtit, & vigil.
Uigilantiam Lector pręcipit Deus,
Antonius vigilat, vltrà ne dormias,
Parum Tù vigila, ęternum vt dormias.

CHRONOLOGIA.

ANtonius Italus natione Patrià Mediolanen. à longo Aquilæ incolatù de Aquila dictus, ex nobili, vt tradunt, Turrianorum familia natus circà ann. 1410.

Tondètur in Monachum. 0000.

Italiam, iuſsù Superiorum, Hiſpaniam, & Galliam circuit, & plura Hominum millia, vnico ſigno Crucis, ſaluti reſtituit circà ann. 1454.

Parthenòni S. Luciæ De Aquila præerat. 1462.

Dormiuit in Domino Septuagenarius 24. Iulij. 1480.

Incorruptum eius Corpus Aquilæ colitur. Signis ante, & poſt mortem plurimis fulſit. Panegyri anniuerſarià ad 24. Iulij honoratur, & à Fratribus hymno quotidie. Agunt de illo Carolus Ciminellus in eius vità, Scacchius, Claudius Eugenius de SS. Aquilæ, Bzouius, Neuius, Oroſco &c.

PROGRAMMA.

B. Antonius De Aquila Ordinis Eremitici D. Auguſtini. 2034.

ANA-

ANAGRAMMA.

Aptate veſtras lampades, Ecce Sponſus venit. Matth. 25. 2034.

SPonſus, exclamat, obuiam
Jte feſtinæ ò Virgines,
Veſtraſque aptate lampades.

ELOGIUM LXXIII.

BEATI IOANNIS CAPGRAVIJ PROFESSORIS OXONIENSIS.

LEMMA.

Ioannes Anglorum eruditiſſimus *Theologiam Oxonij docet, pietate vnitè excellit, Sophiſtarum nugas irridet, Angliæ præfecturâ renunciatur. Ex Pamphilo, Pitſeo, Mayayo, Gratiano, Herrerà, Elſſio ad annum* 1484.

EN vno tota in capite Anglorum facundia,
En tota in vno fęcunditas Inſulæ.
Scientiarum Mare Ioannes,
Neſcias an *à Terrâ flumina ad Inſulas,*

Digitized by Google

An à Cęlo deduxerit lumina.
Senſù ſupra ſenes intelligens,
Malitià paruulus
Ingenij meſſem, quam poſtremis in annis
Reddidit, in primis dedit.
Humana Oxonij diſcens,
Diuina docens;
Clauſtro qualis eſſe deberet,
Scholę illuxit, antequam eſſet.
Diſcipulos magis probitate, quam litteris imbuens,
Artes reddidit liberales, dum pias fecit,
Pias fecit, dum reddidit liberas.
Æquè Arcana Scripturarum deſcribens, ac faciens
Nomen ſcriptis illuſtrauit, nomine ſcripta.
Nuſquam humilior Sapientia,
Nuſquam humilitas Sapientior viſa eſt.
Emeritus in Caluariæ Schola Diſcipulus
Totus Auribus fuit, ac oculis;
Et licet Auribus primò diſplicèret,
Placèret oculis,
Vtriſque complacuit;
Cum nec pupilla, *in eo intuendo*, *taceret oculi*,
Nec tinnitus audiendo quieſceret aurium.
Sæpè alta montium Venti concutiant,
Olympus hic, quò Cęlo propinquior,
Eò ab auris remotior fuit.
Senſuū motus omninò rationis Imperio continens,
Nul-

Nullius motum effrænem,
Nullius contumax ſenſit obſequium.
Ardentiſſimè quemque diligere,
Diligi ardentius;
Hæc illi imperandi peritia fuit.
Dilectus Domini timori non ſubditus,
Eidem omnes *Amori*
Militare crediderat Filios.
Obſequio ſingulos, lenitate, prudentià corrigens,
Se omnium Seruum,
Omnes ſui Domeſticos fecerat.
Ità non habens, quà melius ſcriberet, vel doceret,
Doctrinà æquè *Grauis*, ac ſcriptis occubuit
1484.
Pauper argentum ſi ſpectes;
Imò Diues ſi Sapientiam.

CHRONOLOGIA.

I*Oannes Uir probitatis, & doctrinæ præconijs clarus, Anglus natione, Cantianus Patrià fuit. Cantuariç adhuc Adoleſcens Monaſticham induit, ſed quò anno incertum eſt. Libris perinde, ac ſuis concha ſcopulis adhęrens, vt ait Pamphilus, ità ſenſim profecit in litteris, vt ei pares illa ætate perpaucos, Superiorem vix omninò vnquam protulerit Anglia. Scripturarum diuinarum vnicè Amator cum illis, & in illis*

per-

perpetuò vixit, ſolitus dicere ſe parum, aut nihil Sophiſtarum tribuere ſomnijs, quod ſciret ex illis non aliud generari quam noxias, & inutiles quæſtiones. Humfrido Duci Gloceſteriæ Henrici V. Germano à ſecretis conſcientiæ fuit, apud quem multum pietate, & conſilio valuit, & ſub cuius vmbrà, præſidioque ſua pleraque emiſit in lucem. Mira ſunt, quæ ſcripſit, & fecit, cum vnà ingenio acer, recti tenax, iudicio ſolidus, clarus eloquio, acutus Philoſophus, profundus Theologus, & Concionator facundus extiterit. Acceſſerat his morum candor, moderatio, dexteritas, eutrapelia, manſuetudo, dominium ſui, quibus Deo dilectus, ac Homini Linnæ Nordouologiæ pago, Bonorum omnium exceſſit ex oculis, non ceſſit ex animis anno 1484. 12. *Auguſti.*

Scripſit Doctor eloquentiſſimus.

In Teſtamentum Vetus, & Nouum libr. 54. *in Oxonienſi.*

In Magiſtrum Sent. libr. 4.

Catalogum Sanctorum Angliæ Londini 1516.

Manipulum doctrinæ Chriſtianæ.

De Nobilibus Henricis.

De Sequacibus Auguſtini.

Determinationes Theolog.

Sermones per annum.

Epiſtolas ad Diuerſos.

De Fidei Symbolis.

Orationes ad Clerum.

Et

Et plura alia apud Pamphilum, & Herreram.
Agunt de illo Pitſeus. De Script. Angliæ, Miræus, Friſius, & omnes noſtri.

A*Nglia me Veterum gazas congeſſit in Vnum,*
Ergo meo GRAVIVS non habet illa CAPVT.

ELOGIUM LXXIV

BEATÆ UERONICÆ DE BINASCO.

LEMMA.

Veronica agreſti, & populari genere nata Laicam induit, horas Canonicas à Chriſto diſcit, Prophetiæ Spiritû claret, in extaſim rapitur. Ex Bzouio, Ferrario, Bollando, Herrera, Elſſio ad annum 1497.

UEronica Cœlo nata,
Binaſchi educata,
Parentes aut non habuit, aut ignorauit.
Clara omnibus, & obſcura,
Mundo vt lateret, Eremo ſe condidit,
Et plus condita ſe publicauit.
Abſcondit ſe illa quidem, vt ſciuit, & potuit

Sed

Sed portentis prodita eſt,
Nimis enim difficilè abſconditur,
Quod publicat Deus.
Chriſto Pręceptore digna diſcipula,
Cum omnium ignara eſſet, omnia ſciuit,
Et ſinè litteris Sapiens,
Erudita ſinè Magiſtro,
Præſentia neſcijt, futura prædicens,
Publica ignorauit, Secreta reuelans.
Forma omnium, & exemplar
Breui maiores ſuperauit, cum minor eſſet,
Et nouam diſcens ex ijs, quæ *agebat obedientiam*,
Ità omnibus obediuit, vt imperaret,
Ità imperauit, vt obediret.
Ream ſe reputans, niſi alieno proſpiceret bono,
Culpas omnium *charitate vulnerata* credidit ſuas,
Et gaudere cum Apoſtolo ſciens, & plangere,
Æquè in meriti ſui cumulum
Virtutes aliorum conuertit, & vitia.
Quid potuerit certè Veronica
Principes didicere, quia correcti,
Et Pontifices, quia *reprehenſi*.
Comprehendit Sapiens Idiota ſcripturæ ſublimia,
Et legis arcana interpretata antequam noſſet,
Incertum fecit,
An in Viſu viderit Deum,
An in extaſi audierit Angelos.

Oleum

Oleum peccatorum, non tela formidans
Laudes odit, dilexit opprobria.
In hoc humilis,
Quod Uirtutes modeſtia tegeret,
In hoc magnanima,
Quod quò humilior, glorioſior appareret.
In ſe durior, quod clementior eſſet in alios
Pudori tuendo perpetuò ſęuijt;
Et Flammis Veneris aquas obijciens,
Ferrum opponens,
Se tandem fame vltimò vicit, & Venerem.
Ità Cœlum diù ſuſpirans,
Quod iam Mundo digna non eſſet,
Mundum magis ignorauit, quam dereliquit.
Anno 1497.
In Mundo ſi fuerat,
Quę raptù ſemper in Cęlo erat.

CHRONOLOGIA.

Veronica Binaſchi in Inſubrià ex agreſti familià nata. 1445.
Mediolani in Aſceterio S. Marthæ Monaſticham induit. 1467.
Eremum petit, ſed ab Angelo reuocatur. 1481.
Sacrà ab ipſo Domino Synaxi reficitur. 1493.
Iuſsù eiuſdem Romam accedit, & ſecretò Alex. VI.

Pon-

Digitized by Google

Pontificem conuenit. 1495.

Horas Canonicas repentè à Chriſto memoritèr diſcit, eaſdemque cum ipſo Domino alternatim perſoluit, & cantat. 1495.

Miraculis, & Sanctorum ſpiritu plena migrat ad Sponſum 13. *Ianuarij anno ætatis ſuæ* 52. *profeſſionis* 30. *Chriſti.* 1497.

Corpus viuidum, & incorruptum per quinque integros dies obſequio conuenarum expoſitum iacuit. librum pennà aureà ſibi ab Angelo allatù, dictanteque Angelo, ſcripſit; quæ penna ſimul cum palmà argenteà, teſte Iſolano, Mediolani videtur adhuc; quamuis liber, ipſa ſuperſtite ſublatus fuerit, eius Uaticinio aliquandò Aſceterio D. Marthæ Mediolanen. reſtituendus. Errant inſignitèr Bollandus, & alij de Veronicæ Monachatù ſubdubitantes, cum res tanto ante ſit definita. Eam Leo X. anno 1517. 15. *Decembris Beatæ titulo, Vrbanus VIII. anno* 1624. 30. *Maij, & Clemens X. ann.* 1672. 18. *Maij officio etiam decorarunt. Uitam eius, & virtutes, iuſsù Dei deſcripſit Thaddæa Ferrarienſis ipſius intima, quam Latinam reddit Iſolanus, & alij ex noſtris.*

PROGRAMMA.

Beata Veronica De Binaſco Monialis Ordinis Eremitani Auguſtini. 2167.

ANA-

ANAGRAMMA.

Oſtendit futura, & abſcondita antequam eſſent. Eccli. 48. 2167.

V*Enturum ignoret Virgo, præſentia ſciuit.*
Præſens ignoret Uirgo futura ſciet,

ELOGIUM LXXV

BEATI IOANNIS BAPTISTÆ POGGIJ CONGREGATIONIS GENVENSIS INSTITVTORIS.

LEMMA.

Ioannes Uitæ, & doctrinæ laudibut clarus contumaces ad Chriſtum trahit, Cœnobia extruit, Regularem promouet cultum, defunctus ſplendoribus rutilat. Ex Alphonſo de Oroſco, Iuſtiniano, Romano, Creſcentio, Oldoino, Soprano, Rainaldo, Bollando, Herrera ad annum 1497.

JOannes ſui ſortem Nominis aſſecutus,
Nomen quam benè Prçcurſoris,& munus impleuit?

Homo & ipſe à Deo miſſus
In expugnationem Erebi pugnans,
Cucurrit vt vinceret;
Et violentiam Cęlo facturus,
Eò vitę auſteritate prius iuit, quo nemo venit,
Eò venit quò nemo pręiuit.
Seniores obſequio trahens, exemplo Tyrunculos,
Aſpera in plana,
Obliqua, amore dirigente, conuertit in recta.
Tantumdem agere, ac pati ſciens
Minas hoſtium ſenſit, vt vinceret,
Audiuit, vt fugeret.
Nudam ſed ſine affectibus Oratoriam profeſſurus
Totum tribuit actioni, facundiæ paruum,
Cum totus oculis prædicaret, auribus nihil.
Palmarum ſemina manù ferens,
Sudoribus abluens,
Liguriæ nouas ex Eremo protulit palmas,
Ex lapidibus Abrahaę Filios.
Populos æquè ore docens, ac manù componens,
Dubium fecit an plures manù,
An ore formauerit.
Primam ratus laudem, ſi deliteſceret,
Principatum, ſi obediret;
Oculos omnium fugit, ac aures;
Ità erat humilis;
In aures omnium venit ac oculos,

Ità

Ità ſublimis.
Verendus Regibus, quod ſibi deſpectus,
Quæſiuit merita, honorem reiècit,
Tàm honore, quàm meritis dignus.
Diù aliorum Moderator, quod ſui ſemper.
Nullius ſterile verbum,
Nullius vacuum ſenſit obſequium.
Nuſquam durior diſciplina,
Nuſquam lenior viſa eſt;
Cum iugum amore,
Charitate dulceſceret rigor.
Nemo acerbius hoſtem odit, ac ſe Ioannes,
Nemo charius ſe dilexit, ac ille Filios.
Jmpijs pius, Ingratis gratus
Calumnias gratijs, pietate redèmit iniurias.
Preſſuras omnium, detrimentum reputans ſuum,
Ærumnis indoluit aliorum,
Non doluit ſuis.
Altiori ſpiritù incedens,
Quem caro non nouerat,
Stultis imprudens, Sapientibus viſus eſt prudens.
Annorum denique numerum factis æquans,
Merito vincens
Pacem, quam in Terra diù quęſierat,
Luce amictus in Mari reperijt
Anno 1497. 31. Maij.

Ioannes magnum Liguriæ, atque Ordinis incrementum Genuæ ex nobili Poggiorum familià natus anno ſuprà. 1430.

Genuæ ad S. Petrum de Arenà Congregat. Inſubricæ tondètur in Monachum circà. 1450.

Uerbo, & exemplo Liguriæ, ac Inſubriæ Urbes ædificat; & in congreſſù Mutinæ habito Auguſtini Cremenſis Vic. Generalis Collèga deligitur. 1468.

Aſceterium moderatur Alexandrinum; vnde zelum Dei zelatus, ſecum Tyrones, & Profeſſos aliquos ducit; & arctioris, non viſum in Ordine inſtitutum, cogitat vitę. 1470.

Deinde primò ad Plebem Theyci in Liguria Occidentali, Iacobo de Aquila promouente, Congregationis initia iacit 11. *Febr.* 1471.

Ceuæ, Rapalli, & Mon. Regalis Domos acquirit, deinde Genuenſe Cęnobium extruit 24. *Octobris.* 1475.

Romę calumnijs appetitur, & litteras accipit à Sixto IV. minarum plenas, vt iterum ad Congregationem Inſubricam redeat, & ne Mariæ Conſolationis ædificet Domum 18. *Ianuarij.* 1475.

Sauonenſem extruit Domum, & Mon. Brunum vnà cum ſuis à Lauaniæ Comite accitur, vt Uirgini,

gini, quæ apparuit tunc inſeruiret 26. Auguſti. 1486.

Vicarius iterum Generalis inauguratur ſub Anſelmo de Mon. Falco 8. Iulij. 1489.

Nouis Anſelmo fauente Congregationem munit indultis 30. Iunij. 1492.

De Ordine, & Eccleſia benemeritus in Mari obijt propè Plumbinum 31. Maij. 1497.

Plumbini in Minorum Eccleſiâ iacet, vt dicitur, verum, vtcumque iaceat, aut quomodò obierit, omninò non obijt, cum Filios ſibi ſimiles, & ſucceſſores vbique reliquerit. Suæ Poſteritati Vir deſideriorum *interfuit viuens, & ſuos ante obitum non in Liguriæ ſolum, ſed Inſubriæ, Pedemontij, Mon. Ferrati, & Galliarum confinibus cum fructù, & plausù Populorum, teſte Oldoino, propagatos fæliciter vidit. Mira fuit eius vitæ ſeueritas, & patientia præcipuè in Aſceterio Genuenſi Conſolationis ædificando, cum æmuli ſe ſe illi apud Sixt. IV. oppoſuiſſent, qui eorum perſpectâ malitiâ, non ſolum Beatum Hominem cenſuris abſoluit, ſed innumeris priuilegijs, & fauoribus eſt proſecutus. Exemplar erat prioris æui, puro corde, priſcis moribus, fide non fictâ; ideòque quamplurimos diuintus traxit, & in ſucceſſoribus diù vixit. Paupertatis aureæ ſæcula redire contendens, nudis pedibus, ac lacerâ veſte, vultù aliòqui, verbiſque iucundus, brumali frigore ſemper inceſſit. Humilitate in primis enituit, & cum omnium Princeps eſſet, bis tantum præfecturam admiſit*

inui-

inuitus. dicendi doctrinà, & exemplo tantum profecit, vt ipſum non tantum Geuę Marchiones, Lauaniæ Comites, Laſcarei Principes, ſed Sixtus IV. Innocentius VIII. Carolus VIII. Gallorum Rex, & Galeacius Uice Comes Mediolanenſium Dux, vnicè amauerint, atque ſuſpixerint. Illum Scriptorem acutiſſimum *Elſſius*, Beatum *Alphonſus de Oroſco*, *vitæ integræ, ac religioſæ Iuſtinianus*, Patrem inclytum *Seripandus*, *Romanus Sanctiſſimum appellare non dubitarunt. Scripſit teſte Iuſtiniano, & Elſſio*, quædam pià, ac docta, quę ab eruditis deſideratur. *Hæc ex Bullis Pontific. & Regeſtis Ord. vnde decepti ſunt, qui aliter ſcribunt. Uideatur Seripandus in Coment. Ord. Alphonſus de Oroſco, qui duos, teſte Herrera, Beatos etiam Viros Congregationi huic attribuit, Mayayo, Iuſtinianus, Miraus, Gratianus, Pamphilus, & omnes noſtri.*

PROGRAMMA.

B. Ioannes Baptiſta Pogius Eremita D. P. Auguſtini. 2048.

ANAGRAMMA.

Memento Congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio. Pſal. 73. 2084.

IOannes in Mari merſus ſplendoribus micat.

SI quis honor tumuli, tædas, & funera nolo,
Eſt mihi Sarcogaphus Pontus, & aſtra faces.

ELOGIVM LXXVI.

AVRELIJ BRANDOLINI FLORENTINI VVLGO' LIPPI POETÆ, ET ORATORIS EXCELLENTISSIMI.

LEMMA.

Lippus inter paucos inſignitèr rarus Tullium Romani eloquij Autorem, teſte Manutio iuniori, facundia æquat, materia ſuperat. Ex Matthæo Boſſio epiſt. 75. Pamphilo, Poggio, Hermolao Barbaro, Gratiano, Herrera ad annum 1497.

BRandolinus eloquentià magis,
Quam nomine Aurelius,
Ex eloquentià neſcias,
An ex auro deduxerit nomen.
Argus mente, oculis Lippus
Obſcuritatis ſuæ delicias

In-

Inuènit in tenebris,
Et ſuum ponens aſcenſum nubem;
Noctem vſurà tenebrarum conuertit in lucem.
Studio laborioſas alij noctes,
Et Vacuos numerauerint ſibi dies;
Non laboribus ille, ſed otio
Scientiarum peruenit ad lumen;
Et ſortitus animam bonam,
Philoſophiam, Poëſim, Oratoriã, Muſicam, Ethicã
Antè ſciuit, quam poſſet addiſcere.
Armonicus ſpiritus,
Quidquid diceret versù locutus,
Latinæ, Italæ, Grecę
Linguarum omnium charites trasfudit in ſuam;
Et quam Romæ, Strigoniæ, Budæ
Luculentèr orauerit conijce,
Lippum extemporaneè, quamuis orantem
Nulla potuit Oratorum ęquare ſolertià.
Memoriæ Oceanus omnium antiquorum
Scrutatus abyſſus
Suum omnium Bibliothecam fecit ingenium,
Et quaſi antelucanum illuminans omnia.
Proh quam longè ſuſpexit hic Lippus?
Æquè ſubdìtis charus, ac Regibus
Hos conſilio præmuniuit, illos exemplo,
Verendus ſubditis, quod *Pius in Aula*,
Amandus Regibus, quod Grauis in Populo.

Di-

Dicendi facũdiam grauitate doctrinæ corroborans
Quò diù dixerat, diù placebat,
Vndè, vt dicentem diutius, orare Principes,
Vt ſępè diceret;
Ità Populi diù placentem, ſuſtinère
Vt loqueretur.
Redi Lector.
Vnius olim Homeri cæcitatem deriſerit Grȩcia,
Lippi alterius orbitatem,
Quandiù erit, lugebit Italia.

CHRONOLOGIA.

AVrelus vitio, ſeù defectù oculorum vocatus Lippus, nullum Manutio teſte Iuniori ad Angelum Rocchan Æui ſui ȩqualem habuit, nullum fortaſſe Superiorem. *Poëſi enim, Rhetoricà, Muſicà, Philoſophià, ac Theologià prȩclarè eruditus, eò profecit; vt non ſolum Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ſed litteratis etiam Viris; iiſque Doctiſſimis miraculo fuerit. Hinc famæ merito, à Matthia Coruino Hungariæ Rege accerſitus Oratoriam magnà cum laudæ Budæ, ac Strigoniæ publicè legit. Italiam repetens, Florentiæ apud noſtros voto ſe vouit, vbi Sacerdotio initiatus, ità verbo Dei profecit, vt quàcumque diuerteret Hoſpes concionari compelleretur. Ità omnibus dicendi facundià, præcipuè Alex. VI. Pontifici placuit; vt eamdem Orationem, eademque die, ſe-*

mel; ac tertiò coram Pontifice, & Patribus, A. Manutio teſte, recitare coactus ſit. Eà memoriæ, ac facundiæ laude præcelluit, vt non ſolum apud Sixtum IV. & alios, Catullum, Plinium ſecundum, Cornelium Nepotem &c. extemporaneo versù laudaret; ſed quod omnem excedit captum, Veronæ aliquandò, Matthæo Voſſio Auditore epiſt. 75. Plinianam totam hiſtoriam in ſeptem, ac triginta diſcretam volumina, per omnia cuiuſcumque voluminis capita, plurimis, iiſque præclariſſimis verſibus; nullà, vel cogitatione, vel morà interpoſità, & nullà re prætermiſsà memorabili, ac ſcitù digna, elegantiſſimè recitaret. Decubuit Romæ 1497.

Scripſit Doctiſſimus Vir.

Paradoxa Chriſtiana. Baſileæ 1543.

De Ægritudine toleranda. Ibidiem.

De Ratione ſcribendi. Ibidem.

De Legibus.

Hiſtorias Sanctorum.

Hiſtorias Vet. Teſtamenti.

Nouum, & Vetus Teſtam. Carmine heroico.

Super omnes epiſt. Pauli.

De Repub. & Regno. Florentiæ in Laurentianà.

In Hiſtoriam Hebræorum. Romæ in Altempſianà.

Orationes &c.

Eximiè ipſum laudarunt Poggius, Pamphilus, Verderius, Friſius, Pociantius, &c.

Lip-

Lippe cothurnato pangis dum carmina plectro,
Claro, quam Lippo lumine, & arte micas!
Lippus es, at fuluo ſplendes fulgentior auro,
Lippus es, at cæcà ſydera nocte vides.
Lux ergò eſt lucem te non vidiſſe, videres,
Si benè vidiſſes forſitan ipſe minus.

ELOGIVM LXXVII

MARIANI GENEZANENSIS GENERALIS MAGISTRI ORDINIS, ET ORATORIS EXCELLENTISSIMI.

LEMMA.

Marianus eloquentię clarus inſignibus pulchriores Italię Vrbes ædificat Verbo, diſcordes ſedat, Generalis renunciatur, deſtinatur Legatus ad Principes. Ex Politano, Seripando, Claudio, Roberto, Bzouio, Poſſeuino, Geſnero, Herrera ad annum 1498.

MArianus Genezanenſis

Demoſthenes Italus, Latij Paulus,
Probitate, Doctrinà, Facundià
Oratorum omnium lumina, aut extinxit,
Aut obumbrauit.
Adoleſcentulus non de annis,
Sed de meritis metiendus
Suggeſtum aſcendit,
Et ſuggeſtù maior, ac ſe,
Vndè alij honoris iter vix incæperant
Ipſe confecit.
Quinque olim de Homeri Patrià
Decertarint Græciæ Vrbes,
Tota De Mariani Concione certauit Italia.
Omnes Marianum qui audit, audiuit,
Neminem audit, Marianum qui non audiuit.
Unius omnes eloquentiam ſuſpirare,
Vnus omnium ſatiare potuerat ſitim.
Loquerentur in alijs vox, vultus, habitus eloquẽtia
Plus in eo oculorum locuta ſunt flumina.
Plenas ille lacrymis manus,
Vbi vellet, & quantum vellet,
Auditorum effudit in turbas;
Atquè ideò quàquà placuit,
Populorum conuertit *ingenia*.
Ceciderunt eloquentià lacrymarum
Tremefacti fortiſſimi Heſperiæ,
Et fletu robuſtiùs inimicorum Regis in corda

Euan-

Euangelica fixa ſunt ſpicula.
Intercidit flammas ignis ignita vox Verbi,
Et plan͂ctu aurea conuerſus in pluuiam,
Proh' quot errorum portenta
Et Draconum contriuit in aquis!
Extulerunt aquarum à voce
Voces ſuas Heſperię flumina,
Et Te altius prædicante,
Cęlorum in vertices ſurrexerunt Eremi ſublimia.
Generalis Ordinis Præſes,
Eccleſiaſtes, Hiſtoricus, Theologus, Vates
Addidiſti honori meritum,
Et honorem merito extinguens
Incertum feceras an plus doctrina *praualeres*,
An dignitate,
An morum eſſes amabilior probitate,
An ſcientiarum fulgore ſplendidior?
Loquentem te admirari *Doctorum* ſublimitas,
Tacentem ſuſtinère Principum turbæ,
Conſulentem ſequi Dynaſtes,
Et orantem rogare Pontifices.
Sed qua incautè progrederis calame?
Nullę augent Mariani meritum laudes,
Nec probra diminuunt,
Alterum non haberet Demoſthenem Græcia,
Alterum Marianum non habet Italia.

CHRO-

MArianus, Orator facundiſſimus, *teſtimonio Politiani lib. 4. epiſt. 6.* & nuſquam viſus *Genezani Latij Oppido, ex Agreſti familià natus anno ſuprà.* 1550.

Adoleſcens voto ſe obſtringit, & Peruſinas Athenas petit. 1570.

Patauij ſtudet, & paulò poſt Magiſtratus donatur inſignibus. 1480.

Congregationis Illicetanæ Vicarius Gener. inauguratur. 1484.

Deinde confirmatur. 1487.

Proficiſcitur Paleſtinam. 1489.

Plauſu Pici Mirandulani, & Laurentij Medices Florentiæ orat. 1489.

Romæ ad Populum Congregationis Inſubricæ prefecturà renunciatur. 1493.

Anſelmo à Mon. Falco renunciante, Vic. Ord. ab Alex. VI. creatur. 1495.

Deinde Romæ ad D. Auguſt. totius Ord. Magiſter aſſumitur. 1497.

Legatione Alex. VI. honoratur ad Ducem Vrbini, deinde ad Fridericum Neap. Regem, à quà dum redit, pontificij ſpe gäleri, magno Chriſtianæ Reip. damno Sueſſæ, non Tybure, vt ſcribit Volaterranus occubuit Decembris. 1498.

Cer-

Certabant in Mariano de palmà modeſtia, integritas, politia, doctrinà, facundia, & nouum genus æuo illo concionandi, vt dicère auſim, neminem inueniri potuiſsè, qui comparari cum illo potuerit. Lacteo Liuius eloquentiæ fonte manabat, lacteo, & aureo Marianus facundiæ mari Italorum rigauerat fines. Nulla ſanè Italorum Prouincia fuit, imò nulla in eis inſignis Vrbs, ad quam eius non venerit fama, & quæ illum non infimis precibus, ſummis votis pro concione à Principibus, à Pontifice non exquiſierit. Quinimò extrà plagas Italiæ raptùm illem Hebræi, illum Barbari, illum Hæretici Brandolino, & Landuccio teſtibus, fructù æquali, plausù conſimili, & honore ſunt proſecuti. Cuiuſuis ille Ordinis Auditores Indoctòs, Doctos, Iuuenes, Senes, Gregarios, Duces eloquentiæ vi demulcebat, allatoque animi motù, quòquò vellet impellere eſt viſus. Lacrymas, inquit Elſſius, inter orandum quantum vellet, & vbi vellet profundere ſciuit, & manù ſæpè collectas, illas Auditoribus componendis è ſuggeſtù diſperſit in Templa. Senarum in Vrbe, cum aliquandò è roſtris diceret; diſcordes omnium animos, ità facundiæ robore, ac vi deliniuit, vt ſtatim ſinguli ſpontè in amplexus, & lacrymas ruerent. Illum Picus Mirandulanus, Illum Angelus Politianus tanti fecerunt, vt nullo magis quam verbis eius, & amicitià, triſtitiam laboris litterarij lenire ſolerent. Laurentius Medices ſeuerus

aliò-

aliòqui Doctorum Cenſor, illius tantum doctrinæ tribuit, vt non modò ipſius gratià, inſigne Florentiæ S. Galli, non S. Spiritus vt falsò aſſerit Elſſius, Templum erexerit, ſed vnam cum illo deambulantiũculam, vt ſuprà ſcribit Politanus, cuiuslibet fermè vitæ vrbanę prætulerit otio. Ob hæc igitur Prior Ordinis ſalutatus prudentèr ac ſi quis alius, iuſtèque ſe geſſit; ſed dum Neapoli, iuſsù Pontificis, Romam accederet, febri primò regiminis anno improuisè correptus interijt.

Reliquit Vir immortalis ingenij indices, Hiſtoriam Ordinis per 800. *annos digeſtam, in quà ſummo ſtudio, ac diligentia De Antiquitate Ord. ſcripſit, teſte Ægidio Viterbienſi, & Stripando.*

Sermones.

Orationes.

Epiſtolas.

Sermones De Virg. ex Maraccio.

Orationem coram Innoc. VIII. habitam Romæ 1487.

Marianum eximiè laudant Trithemius, Pamphilus, Iouius, Critana, Elſſius, Pontanus, qui teſte Iouio in eius funere carmen hoc fudit.

Qualis Alphei liquidos ad amnes,
Siue Meandri viridante ripa,
Concinit ſerum moriens in ipſo
Funere Cygnus.
Talis ad plectrum, & Thyaſos Deorum

Ludit

Ludit in Cœlo Marianus ipsà
Morte victurus Marianus, ipſo
Funere fęlix.
Ipſe ſis fęlix, faueaſque nobis,
Ipſe ades feſſis Mariane rebus,
Tù preces audi Miſerorum, & iras
Siſte Tonantis.

ELOGIUM LXXVIII

AMBROSIJ CALEPINI.

LEMMA.

Calepinus cæcitate confectus, & Senio ſua vltimò Commentaria recognoſcit. Ex Filippo Bergomenſi, Cruſenio, Herrera, Elſſio ad annum 1510.

BIuia, lector, via non eſt,
Quam ſene, & cęco hoc ingrederis Duce;
Nullus hoc ſene vegetior,
Nullus cęco hoc oculatior fuit.
Deſudent alij in roſtro facundia,
Doctrinis in Cathedra;
Suo in otio feriatus cæcitate profecit Ambroſius,

Et vbi alijs tormentum eſt cæcitas;
Ipſi penè delicium fuit.
Dies olim iactura *lucis eructaret* Uerbum diei,
Nox nunc nocti indicat ſcientiam,
Et noua vſurà cæcitatis aperiens lumina,
Ipſius tenebræ ſicut, & lux.
Immenſum ille nominum chaos,
Duce cæcitate diſtinxit in tenebris,
Et omnium Antiquorum occulta ſcrutatus
Proh' quam lucem hac cæcitate,
Quos ſplendores inſpexit his tenebris!
Argus mente oculis captus
Aciem oculorum conuertit in animum,
Et cæcitate vſus, vt visù,
Lumen acquiſiuit, vt perdidit lumen.
Lucem Scriba eloquentiſſimus eduxit è tenebris,
Et ſparſa vndiquè eloquentiæ mella recolligens,
Nouo nominis incremento,
Non effudit, *collègit* Ambroſias.
Diſce Lector, & Tù aliquandò benè vtere malo tuo,
Cæcitate, ſi benè vteris, lumen eſt,
Malè ſi lumine, cæcitas erit.

CHRONOLOGIA.

AMbroſius Patrià Bergomenſis, Gente Calepià, vnde illi cognomen, à teneris, vt ipſe ait, vnguiculis,

lis, in patrio Aſceterio voto ſe obſtrinxit anno 1451. *humanis, ac diuinis impensè eruditus, & declamationibus [refragante natura] ſe dendum non putans, ea mox ſolum amplexus eſt, quæ certam præſeferrent humanitatem; & opus eximium ſummâ induſtria, longo otio, magnoque labore tandèm confecit, & precibus amicorum primò vulgauit anno* 1504. *quod auctum magis poſtea, ac emendatum Ægidio nuncupauit Viterbienſi anno* 1591. *Fuit in illo, vt de Cæſare loquitur Tullius, ratio, memoria, ingenium, cogitatio, diligentia, litteratura, quibus Antiquorum Selecta reuoluèns Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij &c. dicta commendat, & quam plura in Laurentio Valla, Priſciano &c. iuſtè reprehendit. Senex optimus capto operi ſempèr incumbens ſolebat dicere Deo temporis rationem eſſe reddendam, atque oportere vnumquemque in agro Dominico quam poſſet operam ſemper impendere. Obijt Bergomi octuagenarius* 1511. *Laudatores Ambroſij nullos hic damus, cum tot Præcones quot Homines habeat, qui illum quotidiè laudant, dum legunt. Videatur Pamphilus, & editio Veneta* 1654.

MEl Apis Ambroſij veteris confecit in ore,
Nectar in Ambroſij parturit ore noui.

ELOGIUM LXXIX

B. FRANCISCI A' ZAMPANO CALABRI.

LEMMA.

Franciſcus ad prandium Marchionis de Arena coactus, ex pane ſiligineo Marchiònis extrahit ſanguinem, & ex gregario Pauperum oſtiatim emendicato exprimit lac. Ex Cruſenio, Elſſio, Herrerà ad annum 1519.

AVarorum crudelitatem
Abſque animi horrore quis audiat?
Franciſcus *ſanguinis menſam*,
Et auaram abominatus;
Frumenti ex adipe auari Principis exprimit ſanguinẽ,
Et ex gregario Pauperum,
Rubore ſceleris, exprimit lac.
Niues frigorum vetuſtate rubeſcant in purpuras,
Candentes Cereris niues, horrore criminis,
Mutantur in ſanguinem,
Et nigræ è contrà, candoris blandimento,
Vertuntur in lac.
Horrent oculi non metù ſanguinis,

Sed

Sed auaritiæ,
Dum ſanguine inquinata Diuitis eſca
Deuoratorem comedit ſuum,
Et clamorem pauperum vlta
Non ſcelus obijcit, ſanguine punit.
Trepidauit aſpectù iudicis reus panis,
Et probro criminis ſolutus in fletum;
Qualem ex venis Inopum hauſerat,
Talem preſſus effudit & ſanguinem.
Specioſa primo camporum culpę contagio
In ſalſuginem verſa ſylueſcerent;
Nunc proh ſceleris violentia!
Sylueſcit, & panis,
Et ſatus ſanguine, obrutus ſanguine,
Comeditur ſanguine;
Panem ſanguinis fuge viator.
Alieno ſi veſcèris, comederis ſanguinem;
Si tuo, lac.

CHRONOLOGIA.

Franciſcus à Zampano, ſeù Zampanenſis abſtinentià, puritate, & pietate in paucis inſignis, anno 1501. *Gratiano De Fulgineo annuente, initia Congregationis Calabriæ iacit, quæ breui ità eſt propagata, vt in duas ſubdiuiſa Prouincias ſit. Illum eximiè laudat Ægidius Viterbienſis in Regeſt. & meritò, Vir enim*

erat prioris æui, miræ, & antiquæ ſimplicitatis, quà Franciſci Paulani virtutes, & chariſmata æmulatus diem Suberati in Calabria piè clauſit 1519.1.Nouembris. Vbi corpus eius conditum iacet, & magna Populorum frequentià colitur. anno 1584. fauore, & operà Squillacenſis Epiſcopi eius virtutes, & miracula examinantur. Uide Miræum, Pamphilum, & omnes noſtros.

PROGRAMMA.

B. Franciſcus De Calabrià Ordinis B. Auguſtini. 1191.

ANAGRAMMA.

Uox Sanguinis clamat. Gen. 4. 1191.

Contrectata diù ſcelerati Diuitis eſca
Franciſci inſpergit ſanguinis imbre manum.
Horruit humano maceratum ſanguinem farrum,
Et maculas panes erubuere ſuas.
Qualis egenorum clamor ſit collige, quandò
Exclamant crimen ſanguis, & eſca tuum.

ELOGIVM LXXX

ÆGIDIJ UITERBIENSIS GENERALIS MAGISTRI ORDINIS, ET S. R. E. CARDINALIS.

LEMMA.

Ægidius eloquentia Chriſtiana, & linguarum peritia inſignis Generalis renunciatur, Primus in Lateranenſi Synodo orat, Legationes Principum obit, Cardinalium faſtis adſcribitur. Ex Panuinio, Ciaconio, Longolio, Bembo, Sadoleto, Iouio, Herrera ad ann. 1532.

ÆGidius,
Diuinum cuius ingenium
Sola diminutum eſt dignitate,
Honoribus Magnus
Merito Maior inuentus eſt.
Vmbram generis, ne contemnas,
Quod generi defuit, virtute ſuppleuit.
Nullibi Minor, vbique ſe Maior
Sanguini parum, virtuti totum, fortunę nil debuit.
Honorum pondus magnitudine meriti exæquans,
Vir-

Virtute tranſcendens
Gradus omnes mereri potuit,
A nullo honorari pro merito potuit.
Idem Italus, Græcus, Hebræus
Arameus, Arabius, Scytha,
Linguarum omnium lumina transfudit in ſuam,
Et eloquentià *impletus* vt Mare
Omnia Maris in modum
Vel effùdit, vel peperit flumina.
Plautino loqui ambirent Charites Sale,
Ægidij melle Suada loqui ambiſſet, loqui ſi vellet.
Heſperiæ illo horruerunt audito Demoſthenes
Et quò plus audierant,
Plus audiendi conceperant ſitim.
Nemo audijt, quod ille non dixit,
Nemo dixit, quod ille non audijt.
Nullus illo Oratorum tacente locutus,
Omnis illo loquente conticuit.
Itala nunquam maieſtas humanior,
Nuſquam grauior viſa eſt.
Latij lumen, Eremi Sal
Priores illuſtrauit, dum Poſteros docuit,
Poſteros ſuperauit, ſe ipſum dum vicit.
Facundię, illo concionante, ſęculum fuit,
Dum noua illo inuenta eloquentia,
Vel antiqua reddita eſt.
Multum eloquentiæ debet Ægidius,

Plus

Plus eloquentia debet Ægidio,
Eloquentiæ debet Ægidius, quod illa cœpit,
Ægidio eloquentia, quod illo profecit.
Eloquentiæ debet Ægidius,
Quod de illa protulit vetera,
Ægidio eloquentia, quod de illo noua.
Noua abſque Ægidio eloquentia inuenta non eſſet,
Antiquam poſſet Ægidius inuenire, ſi perijſſet.
Redi Lector.
Et eloquentiam ne laudes in purpurà,
Erubuit Vir modeſtus, cum illam induit,
Erubeſceret nunc, ſi laudares.

CHRONOLOGIA.

Ægidius Caniſius Sacri Collegij ornamentum, & clariſſimum teſte Sadoleto, Eccleſiæ lumen, *Canepina, vt ſcribit Herrera, Viterbij oppidulo ex honeſtà familià naſcitur.* 1470.

Iuuenis voto ſe obſtringit, & breui ſacris, ac profanis impensè eruditus Theologiam Florentiæ legit. 1497.

Romæ, Pontifice imperante, è roſtris dicit. 1503.

Romà à Pontifice concionaturus mittitur Senas. 1505.

Auguſtino Interamnenſi è viuis exempto præficitur Ordini, Neapoli à Rege Catholico, & M. Con-

ſaluo magnificè excipitur. 1506.
Neapoli totius Ord. Generalis inauguratur 12. *Iu-*
nij. 1507.
Bullam auream ſine auro à Romano Pont. impetrat,
De Incremento Eccl. ſcribit, reformando Ord.
incumbit. 1508.
Annales Ord. incipit, Canonicos Friſonariæ à Pa-
pienſi Cænobio arcet, grates Deo, iuſſu Ponti-
ficis pro Orani victoriâ reddit. 1509.
Neapoli coram Reginâ, Bononiæ coram Pontifice
magnâ Populi laude perorat, deinde Romæ in
Quadrageſimâ Concionatore deficiente. 1511.
Viterbij confirmatur Magiſter Ordinis, Latera-
nenſi in Synodo orat, legatione ad Regem Nea-
polit. & ad Uenetos honoratur. 1512.
Nuntius à Leone X. ad Cæſarem mittitur. 1515.
Deinde ad Ducem Urbini. 1517.
Galero purpureo à Leone X. honeſtatur 1. *Iulij.* 1517.
Selymo præ victorijs inſoleſcente legatus mittitur
ad Carolum V. & hortatur ad bellum ſacrum. 1518.
Uenetias ex Hiſpaniâ breui contendit vbi à Senatu
publicè exceptus, Reipublicæ Venetæ ſumptibus
Comitia celebrat, & vndecies centum, teſte
Bembo in epiſt. Patrum ſuffragijs, nullo ipſi diſ-
ſentiente, Gabrielem Uenetum præficiendum Ord.
curat 11. *Iunij.* 1519.
Romæ renunciatur Protector Ord. & Patriarcha

Con-

Conſtantinopolit. 1523.

Exceſſit nunquam exceſſurus ex Hominum linguis Romæ 31. Octobris. 1532.

Ægidij merita, teſte Iouio in elogijs, primum, eloquentià chriſtianà, atque vltimum decus emeriti, eò ſunt vt noſtris vltrà non egeant laudibus. Magnæ ſanè Uir indolis fuit, ſummique conſilij, & cui vix ægrè pares Italia dedit. Illum Leo X. Sacri Collegij ornamentum, clariſſimum Sadoletus Eccleſiæ lumen, Theologiæ decus, ac ſpecimen Ioanninenſis, Ferronus Italię columen, Maronem, ac Tullium appellare non dubitarunt; & iuſtè, talis enim in eò vis, & orandi facundia erat, vt ipſo concionante, vel maxima Templa, teſte Iouio, complerentur. Marianum Genezanenſem Pontani, & Politani præconijs inclytum, Præceptorem ſortitus eſt; quem tamen breui facilè vicit, cum Marianus nequaquam tanta ex Græcis, Hebræis, Chaldæis argumenta elicuiſſet, quibus ille in ſuggeſtù vere mirabilis æquo iudicio per omnes Vrbes Oratoriæ facultatis adeptus eſt lauream. Lecta erant eius verba, ſententiæ optimæ, dicendi vis maxima, vt non Ægidium concionantem, ſed Paulum prædicantem audiſſes, non Ægidium, ſed quoddam Sapientiæ ſimulacrum conſpexiſſes. Nihil teſte Viro eruditiſſimo Antonio Magliabecchi, quem honoris hic cauſa nomino, *publici iuris fecit, quod ſuæ detrahi famæ ſcriptis, non addi autumaret.*

ret. Ipſum Sanazarius tantifecit, vt nihil vnquam voluerit edere, quod non prius Ægidij lima, ac iudicio emendaretur. Concio in Synodo Lateranenſi anno 1512. ab eo habita doctiſſimis, atque grauiſſimis viris miraculo fuit; linguam Hebraicam, Chaldaicam, Græcam, Latinam, etruſcam quam optimè calluit. Ea, teſte eodem Iouio, memoria fuit; vt in omnes generum cauſas non ſolum peramplos eruditionis theſauros effunderet; ſed vbicumque, & quando oporteret extemporaneè ſimul, & facundiſſimè poſſet orare. Pauca ſubijciam ex epiſt. Leonis X. apud Bembum lib. 15. quibus licet agnoſcere, quanti eſſet, quem prudentiſſimus, & eruditus Pontifex magnis laudibus cumulauit. Scripſeram, vt elicerem abs te cupereſne ipſe in Cardinalium Collegium cooptari; id quoniam reticuiſti, vel pudore tuo, atque modeſtià, quà ſemper abundas &c. itaque confirmaſti etiam Tù quidem mihi tuo ſilentio conſilium meum. Perdiù enim eſt, cum te legere in Card. ordinem cogito, cum vt tot tuorum laborum, magnà cum Reip. vtilitate triginta totos annos ſuſceptorum, hanc Tibi quaſi mercedem perſoluam, quam poſſum maximam, atque ampliſſimam, tum vt Te Reſp. ſic vtatur vt ex te fructus vberrimos capere poſſit. Puto autem Reip. maiori, & vſui, & honori fore dignitatem tuam, quam Tibi ipſi, maior enim, atque illuſtrior iam eſt virtus tua, quam quæ Magiſtratù illo egeat. Ordo verò ipſe talibus Viris, vt Tu

es

es egere mihi quidem magnopere videtur, quarè Tù plus Ordini, quam Tibi Ordo, ornamenti afferes. Efficiam igitur &c.

Multa ingenij monimenta, eaque inſignia reliquit Ægidius. Romæ in noſtrà hęc ego vidi.

Hiſt. 20. Sæculorum ad Leonem X.

Primum Sent. ad mentem Platonis.

Epiſt. libr. ſeptem.

De Eccleſiæ Incremento ad Iulium II.

Eclogas.

De Litteris Sanctis.

Notas in Geneſ.

Dictionarium, ſiue librum Radicum Hebraicæ linguæ.

Orationem in Lateran. Synodo dictam &c.

Quæ omnia malignè, vel ſtolidè occultari deplorat Iouius, & mecum diù ſed fruſtrà; dum Florentiæ moraremur, plorabat Sapientiſſimus Magliabecchi, Ipſum eximiè laudant Bembus in epiſt. Sadoletus, Ciaconius, Onuphrius, Curtius, & omnes noſtri.

MActe Quirinali doctrinà dignior Oſtro,
Et Bizantinę maior honore Mitræ.
Quæ eſt alijs maior, minor eſt Te purpura Petri,
Æquales merito nec vibrat illa faces.
Non tibi lumen honos, verum tu lumen honori
Addis, honos ergo eſt luminis vmbra tui.

ELOGIVM LXXXI

B. IOANNIS TRAVERSIJ HIBERNI.

LEMMA.

Ioannes integrà manù combuſtus, pollice, & indice, quibus olim prò Pontifice ſcripſerat librum, Londini ſub Henrico comburi non poteſt. Ex Surio, Grauina, Cruſenio ad annum 1539.

SEmiuſtam Trauerſij manum,
Igne ream, ſi iudices, erras;
Cum Index illa nequitiæ,
Et Henrici perfidiæ ſit.
Sponſi manus, mirrhà diſtillans.
Vndè ſcribit, indè triumphat,
Atque ità victoribus digitis,
Vndè ſcribit, comburi non poteſt.
Probet opus vnumquodque, quale ſit ignis,
Trauerſij opera
Ardens quamuis, & irritata
Non conſumit, ſed approbat flamma.
Aurum Chriſti calamo, ſanguine,
Et catenis examinatum,
Nouo hoc etiam comprobari debuerat igne.

Ignis

Ignis Deus conſumens ſit,
Amico hic ſędere flamma
Circum ardet, & non comburit,
Atquè ideò non comburit,
Quod maior intus ardeat ignis.
O' rarum ignis cum igne commercium!
O' non Scęuolę ſed Ioannis viſenda ſpectacula?
Fidem ignis confitetur, quam negat Henricus,
Et naturę oblitus ſuæ
Feſtiuo quaſi tripudio
Circumlambit, & tamen eſt ignis,
Incombuſtus Sinai rubus
Pudicitiæ Symbolum eſſet;
Incombuſta Ioannis palma
Illæſæ poſthàc Religionis indicium erit.
Perge Lector,
Et Pacem vltrà in Anglorum Regno nè ſperes;
Regi olim Aſſyriorum ſcribens manus
Indixerit finem,
Extremum manus incenſa
Regi Anglorum prædicit excidium.

CHRONOLOGIA.

IOannes quod ſcriptis nonnullis, Eccleſiæ ſartam tectam vellet authoritatem Londini accuſatus, non negauit, ſed faſſus eſt, & manum Iudici extendens,

his

his ea, ego inquit, digitis ſcripſi; nec me eius facti vnquam pęnituit, aut Deo bene propitio, pænitebit. Itaque dictata in eum mortis ſententià, cum Carnifex manum dexteram præcidiſſet, & ſpectante populo igni dediſſet, reliqua parte combuſtà, pollicem, cum duobus proximè digitis, quibus ſolemus litteras pingere, nulla ratione ignis licet identidem inflammatus abſumere potuit, quò inſigni miraculo Deus, Martyrem ſuum, cauſam bonam tuendam ſuſcepiſſe, declarare dignatus eſt. Paſſus eſt Londini ann. 1539. 30. *Iulij. Ex Surio in Comment. Azeuedo, Alano Copo, Herrerà, Elſſio.*

INtegra Trauerſi Cineſacta eſt dextera flammà
At digitos eadem lædere flamma nequit.
Mentior. Henrici flammis humanior ignis
Alget, & affirmat, quam negat ille fidem.
Scilicet infidæ Superis Vbi credere mentes
Contemnunt hominum, dant elementa fidem.

ELO-

ELOGIUM LXXXII

CONRADI TREGARIJ SVPERIORIS GERMANIÆ PRÆSIDIS, ET ZVINGLIJ IMPVGNATORIS.

LEMMA.

Conradus, indictâ apud Bernates Zuinglij cum Catholicis pugnâ Fidei, & nullo ex catholicis eò profecto; Solus Zuinglium impugnat, & ſuperat. Ex Surio, Grauina, Pontano, Herrerâ ad ann. 1542.

MEritis, verò prȩconijs;
Te Conrade quis aſſequatur?
Qui, Heluetijs rebellantibus,
Nutante Italia, Roma timente,
Solus cum Spurio in arenam deſcendere Goliat,
Solus Victoriam, Deo auſpicante;
Referre merueris.
Impetum alij ignis extinxerint,
Exacuerint aciem gladij,
Obturauerint ora Leonum;
Neminem fortitudine tibi contulerim,
Cum agros illi, tu aras,

Digitized by Google

Nugas illi, tu veritatem Sartamtectam
Seruare ſtudueris.
De ſuo quidquid Horatio
Iactabunda confinxerit Roma,
Conradi non inferior certè Victoria;
Dum Vrbem ſimul, & Orbem
Labe hęreſis fatiſcentes,
Solus fulſit, ſolus erexit,
Solus infatigabili pugnà ſuſtinuit.
Timuère Zuinglium omnes
Exprobrantem agminibus Iſrael;
Timuère Conradi diſcrimen;
Cum Conradus Fidei memor, immemor ſui
Fidei omnem, nullum ſui timeret interitum.
Quanta ergo animi vis?
Primò, vt ſolus rugientem impeteret belluam,
Deindè, vt Verbo Domini Victor rediret ex acie,
Poſtremò,
Quod vno omnia exenterauerit Monſtra Zuinglio.
Pugnauerunt Conrado in vno
Fortiorum omnium manus,
Uicerunt omnes, vno vincente,
Vniuerſorum Victoria,
Vnius fortitudo effecta eſt;
Ut quot Fides in Zuinglio hoſtium habuit,
Tot in Conrado numeraret, & triumphorum.
Perge Lector,

Et

Et Uictori Conrado dic Pęan.
Heluetios omnes infecit Zuinglius vnus,
Vnus Conradus liberat Heluetios.

CHRONOLOGIA.

Conradus genere Heluetius, inuictiſſimus Fidei Pugil, Vnum, ac Vnicum in Germaniâ, vacillantis Eccleſiæ fulcrum, Auguſtinianam Sueuiæ, ac Rheni Prouinciam annos ſuprà 21. inter ſummas anguſtias temporum, ac preſſuras ſanctiſſimè rexit, defendit, extendit. Illum veræ fidei zelatorem Gabriel Venetus in regeſtis, Theologum eximium Pamphilus, Patrem Venerabilem Hoffmaiſterus appellare non dubitarunt. Veteris probitatis exemplar litterarum ſtudia cum pietate vbique coniunxit, & zelo fidei vbique deferuens, dici non poteſt quanto ſtudio contra Hęreticos excubuerit, quanta diligentià fidem tueri, ac propagare in Chriſto ſatègerit. Ità zelum Dei zelatus pro Deo exercituum, & agminum Iſrael anno 1526. 26. Ianuar. ſolus in arenam cum Zuinglio deſcendit intrepidus, & palmam, teſte Elſſio, Pamphilo, & Grauinà triumphans obtinuit. Tandem poſt duriſſima quæque certamina pro Chriſti nomine, pro Eccleſiæ pace, pro Sedis Apoſt. zelo perpeſſa ann. 1542. 25. Nouembris migrauit ad ſuos. Scripſit Vir Doctus.

Paradoxa centum de Eccleſ. & Conciliorum authoritate, Argentinæ.

Diſſertationem de Sacrificio Miſſæ piam, ac doctam, ſed imperfectam, vt ait Elſſius.

PROGRAMMA.

Conradus Tregarius Zuinglij Victor Ord. Eremitici Auguſtini. 3007.

ANAGRAMMA.

Tù Venis ad me cum gladio, ego autem in nomine Domini Exercituum venio.
1. Reg. 17. 3007.

EPIGRAMMA.

ATtica ſi Te Orbi Tellus Conrade dediſſet,
Cum vacua insereret fortibus aſtra Viris.
Euerſamque tuà vidiſſet cuſpide Beluam,
Sternere, quam centum non potuere manus.
Quà Nemees, Lernæque feras poſuere trophæum
Herculis, arderet, quæ tibi victa fera eſt.
Quodque habet Alcides Cęlum Tù inuicte teneres,
Creditus hoc humeris ſuſtinuiſſe tuis.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM LXXXIII

IOANNIS HOFMAISTERI SVEVI VVLGO' ANTILVTHERI VTRIVSQVE GERMANIÆ PRÆSIDIS, CONFESSIONIS AVGVSTANÆ OPPVGNATORIS.

LEMMA.

Hoſmaiſterus admodum iuuenis linguâ, & calamo Luthero ſe opponit, Hæreticorum calumnias ſuperat, Vrbes Rheni verbo confirmat, veneno interimitur ab Hæreticis. Ex Milleſio, Gratiano, Poſſeuino, Grauina, Cruſenio ad annum 1547.

EREmi etiam hunc
Robuſtiſſimis adde Viator,
Qui immani hac temporum fæce
Bella Domini præliatus,
A Deo fortitudinem ſolus induere,
Solus opprobrium Iſrael,
Et Eremi delere potuerit.
Joannes Aquila, & ipſe fulminãdis Hęreticis natus,
Sagittarum ſuarum in lumine

Pu-

Pugnauit vt Aquila,
Et angues puerili dexterà iugulās, exenterās Hydras,
Draconum Capita prius conculcauit,
Quàm poſſet apprehendere.
Germaniæ lumen, Eremi fax,
Hanc doctrinis illuſtrauit, illam exemplis;
In hoc amabilis, quod doctrinam probaret vita,
In hoc mirabilis, quod doctrinam modeſtià vincens,
Se non crederet eſſe, qui vinceret.
De ſuo quidquid mentiatur Alcide Poeſis,
Quidquid in illo mendacij, in Ioanne veritas eſt;
Cum plures calamo Ioannes attriuerit,
Quam Hercules clauà.
Feras ille vbique gentium,
Et monſtra domuerit;
Errores Animarum Monſtra Ioannes,
Monachij, Auguſtę, Dilingę, Ratiſponę,
Vuormatię, Vlmę,
Vndequaque perſequens impios, fugauit, aut vicit;
Et quam glorioſè vicerit, vide,
A pugna non deſtitit,
Donec Hoſtes omninò deficerent.
Timuère Ioannis à voce
Clamantis, & tonantis Hæreſum Monſtra,
Dum nouo reſpirante lumine Eremo,
Deſerta, & inuia lætabunda dederant voces;
Et vbi habitauerant primo Dracones,

Viror

Viror Calami, & *iunci reſloruit*.
Commota eſt vndique *prouocante charitate*
Malitia pauida,
Et visù magis, quam Ioannis calamo attrita
Fugà prius, quam pugnà defecit.
Quid ergo de Lutheri conquerimur ſtrage?
Cæciderit mitis, immitis occiderit,
Unde vulnus, inde medela,
Dum quantum ignominiæ Luther Eremo,
Tantum Hofmaiſterus *ingeſſit*, & gloriæ.
Nouos ſuperi Auguſtinianæ
Suſcitate Ioannes Eremo,
Cedent Hydræ non clauæ, ſed calamo,
Ueritati, non Vanitati.

CHRONOLOGIA.

IOannes, in quo modeſtiam eruditio non ſuperauit, origine Sueuus, Colmarienſis Patria fuit. Iuuenis admodum voto ſe obſtrinxit, & Iunior anno 1543. *in Comitijs Rheni, & Sueuiæ præfecturà donatus eſt. De palmà in illo certabant zelus, pietas, ſapientia, & quæ vinceret iudicare non facilè fuit. Ob hæc Carolo Cæſari, Ferdinando Regi, & Bauariæ Duci chariſſimus, eccleſiaſtem coram illis aſſiduum egit, & ità egit; vt iure ab omnibus* Antilutheri *agnomen audierit, quod aduerſus Lutherum, & Aſſeclas longà, aſſi-*

aſſiduà, & victrici contenderit pugnà. In ipſum ergo meritò fides Germanorum direxerat oculos, & vno in illo ſpem ordinis collocauerat Seripandus. ann. 1545. & 1546. *in Comitijs Vuormatiæ, ac Ratiſponæ coram Cæſare, & Senatù tam doctè dixit; vt non ſolum ipſum Catholici, ſed omnes Hæretici mirarentur, atque ſuſpicerent. Illum ſuggeſtù Monachij honorauit Vuilelmus vtriuſque Bauariæ Dux, Ipſum Vlmæ Cardin. & Epiſc. Auguſtanus, Ipſum denique inſulæ honore decorandum exiſtimauit Carolus Cæſar; ſed maluit ipſe* abiectus eſſe in domo Dei, & *in peditum turba pugnare, quam Ducum fortiorum numero adſcribi; ſciens* armatum fortium armaturà non poſſe incedere, & *Allophilorum phalanges euertere. Perfecto igitur odio perſequens impios, non dictù facilè eſt, quas ærumnas, probra, dicteria vbique vorauerit. Ei ſępiſſimè inſidias ſtruxère inimici, quas omnes, Deo obumbrante, confregit, ac luſit. Piè in Dominò requieuit Gunzburgi ann.* 1547. 22. *Auguſti ętatis* 38. *veneno ab Hæreticis propinato.*

Scripſit in 4. *Euangel. Louanij* 1562.
In Acta Apoſt. Coloniæ 1567.
In Tobiam.
In Epiſt. Pauli. Colonię.
Contrà Auguſtanam Confeſſio.
De Sacrificio Miſſæ Antuèrpiæ 1579.
De Fraudibus Hæretic.

Indi-

Iudicium De Articulis fidei Auguſtæ Cæſari exhibitis. Maguntiæ 1550.

De Ceremonijs Miſſæ, & Canone.

De Locis Communibus Doctorum.

De Locis Communibus Theologię. Ingolſtadij 1582.

De Clauibus Sacræ Scripturæ. Maguntiæ 1545.

Sermones De Sanct. Antuerpiæ 1579.

Dialogorum lib. 2. & alia, quæ Ingolſtadij excuſſa ſunt.

VLma, Ratiſpona, Auguſtæ, Vuormatia poſſunt
Victa mihi flexo ſuccubuiſſe pede.
Ferratà Alcides clauà proſtrauerit Hydram,
Proſtrata eſt calamo ſæuior Hydra meo.
Arctôo nunc Hydra gelu noua prodeat, unde
Proceſſit virus, prodijt antidotum.

ELOGIUM LXXXIV

BEATI IOANNIS EVSTACHIJ APOSTOLI INDORVM.

LEMMA.

Ioannes Salmanticę ſub S. Thoma Villan. ſe Ordini vouet, Mexicum nauigat, verbo, & exemplo Indos ędificat, Mexicum, & Peruuiam Chriſto regenerat, Ex Herrerà, Elſſio, Calancà, Brullio ad ann. 1553.

MAgna Euſtachium fama præceſſerit,
Maior adhuc inuentus eſt.
Doctrinæ clarus inſignibus, clarior vitâ
Indorum Apoſtolus videri potuit antequam eſſet.
Thomæ compar deſiderijs, merito ſuppar
Eodem, quo ille Salmanticam,
Ipſe Mexicum igne ſuccendit.
Pauli animo gaudens in proſperis,
In triſtibus flens
Omnia *ſuperare amorem* docuit,
Omnia *etiam poſſe ſperare*.
Fidei Præco ſeù taceret, ſeù loqueretur
Verbo minus, Oratorem plus opere expreſſit;
Eò facundior, quò minus diceret.
Ea ſibi inferens damna,
Quæ tyrannis ferre nequiret;
Quò clementius egit in alios,
Eò crudelius deſæuit in ſe.
Suprà Deum, quod extrà ſe raptus
In Terris erat, quia Viator,
In Cęlo fruebatur, quia Comprehenſor.
In Regno diuitiarum opes exoſus,
Aurum accepit, vt redderet;
Collègit, vt daret.
Dignitatum omnium capax nullius auidus
Admiſit aliquas, vt obediret;

Reie-

Reiecit ſingulas, vt imperaret.
Ne vnquam fleret continuò deflens
Crimina, quæ alijs ignouiſſet, agnouit in ſe.
Candori timens vel inter niues
Vigilijs mentem erudiuit, *vt eſſet Domina*,
Ferro carnem, *vt eſſet Ancilla*.
Cęlo denique præmaturus, Terrà non dignus
E' Mexico Hiſpaniam, ex Hiſpanià repetens Cęlum
Hinc non diſceſſit, ſed raptus eſt
Anno 1553.
Dignus, qui æternitatis theſauros acquireret,
Qui tot Chriſto in Terrà auri
Theſaurorum fodinas inuenerat.

CHRONOLOGIA.

IOannes genere Luſitanus, Parentem habuit Aluarum Perez ſed quo anno incertum eſt. Ann. 1520. 29. *Iulij è manibus Thomæ Villanouani Auguſtinianum cingulum induit. A latere eius nunquam diſcedens ſcientiæ, ac intellectus operibus vacat. Anno* 1539. *zelo Domus Dei comeſus cum Socijs vndecim, quorum ipſe Præfectus erat, Mexicum nauigat. Luſtri tantum vnius ſpatio Guaxtecæ Prouinciam Chriſto regenerat.* 1545. *Vicarius Indiarum renunciatur, & eo fructù, vt vnius tantum anni decursù ducenta ſupra Hominum millia, ſudore, ac opera Auguſtinenſium ſint*

baptizata. Ipſo in primis peragente, ac ſatagente, Carolus Cæſar è noſtris plurimos mittit in Indias, eo quod ipſos inuenerit pecunię minus auidos, & humilitatis magis Amantes. *Idem Carolus* Ære publico Templa, Cęnobia, Domos in Indijs *Ordini iubet ædificari.* 1551. *Abſens, & inſcius primus eligitur Peruanæ Prouinciæ Antiſtes. Anno* 1552. *Peruuià ſoluit, & petit Hiſpaniam.* 1553. *inſulâ Epiſcopali donatur à Rege, diem ante Epiſcopatum viàtrici, ac triumphali periodo claudit. Vir ſi quis alius laude, & bonorum memoriâ dignus, in quò puritas, pœnitentia, eruditio, patientia, & abſtinentia de palmà certabant, quamuis facilè pœnitentiam, & abſtinentiam vinceret puritas. Continuas extaſes Vir viſionum perpeſſus eſt. Chriſtum ſæpè corporalibus oculis vidit, & os eius lateri applicuit, vbi animæ ſordes abſterſit. Donum ferè lacrymarum perpetuò habuit, quibus ne oculi incenderentur, frigida fuerant reſpergendi. Scripſit Memoriale beneficiorum, quæ à Deo receperat. Obijt propè ann.* 1553.

OMnia Solis habes iubar, æſtum, lumina, curſum,
Occaſum præter, omnia ſolis habes.

ELO-

ELOGIUM LXXXV

S. THOMÆ A' VILLA NOVA COGNOMENTO ELEEMOSINARIJ.

LEMMA.

Thomas à puero ſanctitatis indicia præbet, Complutum ſtudiorum cauſa contendit, Philoſophiam publicè docet, Monaſticham induit, virtutibus claret, creatur Epiſcopus, inter opes pauperrimè viuit. Ex Baxio, Curtio, Pamphilo, Herrera, Salonio ad annum 1555.

EOdem Thomas naturæ vtero
Cum Charitate egreſſus in lucem
Pauperibus natus, Pauperibus vixit,
Pauperibus obijt.
Infans inter Seniorum exempla grandeſcens
Cępit Pauperum miſereri, cum viuere incæpit.
Ætatem magnitudine ſcientiæ ſuperans,
Virtute præueniens
Sanctorum Scientiam ante apprehendit,
Quam poſſet agnoſcere.
Complutum ſtudiorum cauſa profectus

A'

A' Magiſtris humana didicit, diuina docuit.
Initiandus altiori Cathredæ Doctor
Crucem librum, Crucifixum Interpretem habuit.
Inanem Populorum ſtrepitum oſus
Seceſſit in latebras
Chriſtum ſciens in ſolitudine reperiri,
Non inter turbas.
Alienis in oculis primus, in ſuis infimus
Virtutum lumina ſuſpexit in Socijs,
Deſpexit in ſe.
Æquè Uerbi Diſpenſator, ac operis Factor
Verba operibus exæquauit, exemplo perfecit.
Maiora executus, minora dicens
Quę verbis dixerat, exemplo iam fecerat.
Audiri dignus à Cęſare, quod ità diceret,
A' Cœlo dignus exaudiri, quod ità faceret.
Luci ſuę ſubiratus, quod ità ſe proderet
Reiecerat infulas;
Niſi plura obedientia præcepiſſet,
Quam vellet humilitas.
Forma Gregis factus ex animo
Suo aliorum iacturas damno,
Inopiam copià,
Paupertatem ſuppleuit induſtrià.
Sui Totus deſijt eſſe,
Ex quo aliorum Epiſcopus fuit.
Mori mallens exosè quàm viuere,

Leo-

Leonis, vt decuit ferociam induit,
Paſtoris, vt licuit clementiam exuit.
Omnes veneratus, neminem verens,
Facundia Reges, patientiâ ſubditos flexit.
Lenis alijs, ſibi crudelis.
Indulſit alijs, in ſe ſcelera aliorum puniuit vt ſua.
Omnes Protheus animarum conuerſus in formas
Se in arrham miſeris, egenis in ſtipem,
Se Captiuis conuertit in pretium.
Lacernam promptior veſtire, quam purpuram,
Æquè fortem ſe probauit, ac rigidum Princeps.
Pauper ſibi, Pauperibus Diues,
Vbique illos diuites fecit, vbique ſe pauperem.
Nulla illo Patrono Vidua,
Nullus illo Judice inuentus eſt Orphanus.
Nemo diuitias ità amauit, ac ille contempſit,
Nemo auarior illo fuit,
Quia nemo plus fęnori dedit.
Miſerandus quod nihil haberet,
Admirandus quod daret omnia.
Nunquam tenacior charitas,
Nunquam liberalior viſa eſt.
Nunquam ſolus bucellam ſumpſit,
Sed comèdit de ea Pupillus.
Pugna ipſi cum Deo erat, num ipſi plus Deus,
An plus ipſe Pauperibus daret.
Epiſcoporum exemplum

Niſi

Niſi quod nimia charitate profuſus in alios
Poſtremò prodigus peccauit in ſe.

CHRONOLOGIA.

EXemplum Thomas Epiſcoporum *Fontiſplani Toletanæ Diœceſis Oppido naſcitur ann.* 1488.

Infans adhuc pietatis indicia præbet, & Grammaticæ operam nauat. 1495.

Complutenſes Athenas migrat. 1500.

Compluti propter magnam indolis ſpem à Cardinali Ximenio S. Ildephonſi Collegio adſcribitur, Magiſtros breui facilè ſuperat, & curſum artium publicè legit. 1509.

Complutenſi renunciat Cathedræ, & Salmanticæ Monachum induit 24. Nouembris. 1516.

Salmanticæ ad D. Auguſt. voto ſe obſtringit 24. Nouembris. 1517.

Sacerdotio initiatur, & primò celebrat 25. Decembris. 1520.

Bæticæ præfecturà renanciatur. 1527.

Religioſos mittit in Indias. 1529

Burgis Caſtellæ Prouincialis inauguratur. 1534.

Reformationi Prouinciæ incumbit, & nouos Religioſos deſtinat ad Mexicum. 1535.

Toletano Capitulo intereſt, vbi à Hieronymo Seri- pan-

pando beneuolè excipitur, & concionans in extaſim rapitur. 1541.

Cœnobium primò Salmanticenſe, deinde Burgenſe, & Valliſoletanum poſtremò regit. 1542.

Romæ in Comitijs Ord. Conſtitutionum eligitur Cenſor. 1543.

Granatenſi renunciat infulæ, & Valentinam coactus admittit. 10. *Octobr.* 1544.

Tridentinam vocatur ad Synodum. 13. *Decembris, Diœceſim luſtrat, pauperes fouet, Diſciplinam Clero reſtituit, Valentię Prouincialem Synodum vocat &c.* 1545.

Diem morte victrici claudit 8. *Septembr. hora* 13. *ætatis ſuæ* 77. 1555.

Valentiæ in Eccleſia Ordinis iacet cum hac Epigraphe.

Conditur hoc tumulo D. Frater Thomas à Villanoua Archiep. Valentinus, diuini Verbi Prædicator eximius, qui Chriſti pauperes benignâ quidem manu, non ſolùm viuens fouit, ſed ad extremum vſque ſpiritum ampliſſimis eleemoſinis eſt proſecutus. *Obijt die Nat. Virg. anno* 1555. *Rara, & heroica ſunt, quæ Præſul inclytus fecit, & docuit. Tria in illo de principatu certabant, nempè ardens in pauperes amor, vitæ innocentia, cui humanitas, & clementia comites aderant, & zelus Domus Domini exercituum, & agminum Iſrael, pro quo magis grauia quæuis, & ardua tolerare paratus*

Digitized by Google

erat, quam odibilem vitam amplecti. Solus tamen amor in pauperes perpetuò vicit; nam Infans ſæpè pileolum, induſium, & cibum ſuum pauperibus dedit. Adoleſcens ann. 17. Domum propriam, ac ſuppellectilem contulit Hoſpitum extruendo Xenodochio. Vigintiquatuor mille aureorum quotannis, excepta pecuniâ, ac frumento diuinitùs aucto, diſperſit in pauperes. Senex denique iam moriturus lectum, in quò recumbebat, egeno donauit. Hinc amoris incendio feruens, amoris extaſes frequenter eſt paſſus, & coram omnibus è terrâ ſublatus, horarum 12. ſpatio, aliquandò permanſit immobilis. Sacrum quotidie, exemologeſi præmiſsâ fecit, ſolitus dicere Sacerdotem gehennæ propinquum, qui quotidiè celebraret, nec inde proficeret. pudoris lilium, quòad vixit perpetuò coluit. Eâ dicendi copiâ, ac ſpiritù efferbuit, vt vndique ad eum audiendum confluerent turbæ, & vultum eius, tamquam vultum Angeli ſuſpicerent Reges. Tria ſolus erexit Collegia Orioleſe, Ualentinum, & Complutenſe; ex quibus viri prodière probitate, & doctrinâ præſtantes. Compluti, & Salmanticæ Theologiam poblicè docuit, & inter alios Dominicum à Soto Diſcipulum habuit. Synodo Tridentinæ ſcriptis ſuis profuit abſens. delicta ſubditorum puniens in ſe, ſe ipſum pro illis Sacerdotem, ac victimam obtulit. Libertatis Eccl. Defenſor acerrimus Proregem Valentin. cenſuris inuſſit, nec niſi ſatisfactione peractâ reſtituit.

Pro-

Prophetiæ dono reſplenduit, & ſolo Dęmones fugauit imperio. Ad Chriſti Seruatoris imaginem orans, hanc vocem audiuit, æquo animo eſto, in die Natiuitatis Matris meæ venies ad me, & requieſces. Morti proximus Hiſtoriam paſſionis ex Euangelio audire voluit, & ſinaxi ſacrà refectus inchoauit canticum Nunc dimittis &c. eoque abſoluto quieuit in Domino. Illum luctù publico tamquam Patrem Valentia fleuit, & eius funeri pluſquam 8500. pauperes collacrymantes interfuère. Ipſum Paulus V. anno 1618. Beati aureola, Gregorius XV. anno 1621. officio, Alex. VII. anno 1658. 1. Nouembr. honorauit coronà Sanctorum. Scripſit Extaticus Doctor Conciones eloquentiſſimas, quæ primo Petri Guerreri opera latinè anno 1581. Compluti impreſſæ ſunt. Deinde Brixiæ 1603. Coloniæ 1614. Romæ 1659. & poſtremo Bruxellis cum alijs nuſquam editis per Antonium De Vuitte Auguſtin. Belgam. Ex Bullà Canonizat. Salonio, Curtio, & alijs.

PROGRAMMA.

B. Thomas à Villanoua Ord. D. Auguſtini. 1214.

ANAGRAMMA.

Vnum contrà Vnum. Eccl. 33. 1214.

PROGRAMMA.

Thomas à Villanoua Epiſcopus Eremita Auguſtini. 2274.

ANAGRAMMA.

Diſperſit, dedit Pauperibus, iuſtitia eius manet. Pſal. 111. 2274.

T*Homas eodē anno, & die, quà Lutherus à fide deficit, Auguſtini Monaſticā induit. Ex Cruſenio p.* 3. *c.* 35.

EPIGRAMMA.

S*I qua fides faſtis, eadem, quæ dira Lutherum,*
Heſperiæ Thomam parturit alma dies:
Triſtia ſic lætis miſcentur. Veſpere Coruus
Ex Arcà *egreditur, Mane Columba redit.*

F*Ruſtra alij pugnant.* Contra vnum ſufficit Vnum.
Vnde alius cladem, fert Deus alter opem.

ELO-

ELOGIVM LXXXVI

HIERONYMI SERIPANDI GENERALIS MAGISTRI ORDINIS, S. R. E. CARDINALIS, ET TRIDENTINÆ SYNODI PRÆSIDIS.

LEMMA.

Hieronymus ſanguine, doctrinâ, prudentiâ, & linguarum peritiâ inſignis, ter Præfecturam Ordinis gerit, Concionatores mittit in Indias, Conſtitutiones antiquas corrigit, Cardinalis renuncia-tur, centum ſupra argumenta Hæreticorum ſoluit extempore. Ex actis Conc. Trid. Poſſeuino, Pallauicino, Mileſio, Herrerà, Ciaconio ad annum 1563.

SEripandi memoria
In compoſitionem odoris facta
In omni ore indulcabitur quaſi mel;
Quia eius in corde omnium
Beneficia impreſſa ſunt nimis.
Vir totius gloriæ capax, nullius auidus
Gloriæ apicem feſtinatis honoribus attigit;

Et

Et honores merito excedens,
Tèr primus principatum obſequio meruit,
Vltimus reſpuit.
Nemo ſcierit, quod Hieronymus ignorauit;
Nemo docuit, quod non didicerit Seripandus.
Eremi ſpeculator, & oculus factus
Suo *Deſerta ſæculorum luſtrauit in* lumine,
Et ruinas antiquas erigens,
Mare in Inſulas, *Et arentem conuertit in ſtagna.*
Rarum alibi fędus inierint
Doctrina, & humilitas;
Ità Hieronymi in pectore regnauit humilitas,
Ac ſi ſcientia caruiſſet,
Ità ſcientia, ac ſi caruiſſet humilitate.
Scriba, Orator, Theologus, Præſul
Hebræus, Græcus, Aſſirius
Vno linguarum omnium lumina
Comprehendit ingenio,
Et titulorum omnium faſtus,
Aut ornauit, aut coronauit.
Tridenti omnium mens, & Oraculum
Eò Scientię, ac Zeli deuenit,
Vt nihil inſcio Seripando conſuleret Synodus.
Nihil inſcio Seripando decernerent Patres.
Unus olim contrà centum pugnauerit Iuda,
Vnus contra omnes Seripandus pugnauit, & vicit.
Septē Alcides labore, & tēpore Monſtra domuerit,
Vnò

Vnò intempeſtè Hieronymus impetù,
[quamuis Synodo reclamante]
Centum calumniarum portenta contriuit.
Vir vbique irreprehenſibilis
Niſi quod omnium Poſterorum pręripiens palmas,
Similem ſibi poſt ſe
Non admiſerit Succeſſorem.

CHRONOLOGIA.

Hieronymus Italus natione, Patriâ Neapolitanus Troiæ in Apuliâ ex illuſtri familiâ naſcitur 6. Maij. 1493.

Neapoli, Ægidio Hortatore Viterbienſi, in Aſceterio S. Ioannis Eremo ſe dicat 6. Maij. 1507.

Sacerdotio anno 19. initiatur. 1512.

Annorum 21. Adoleſcens ſub Ægidio Viterb. declaratur Ordinis Scriba 1. Maij. 1514.

Sacras primò conciones habere incipit. 1516.

Regens inauguratur Bononienſis, & paulò poſt Adriano 6. mandante ſacris Magiſtratus donatur inſignibus. 1519.

Congregationis Neapolit. Antiſtes eligitur, & diſciplinam reſtituit morum. 1523.

Neapoli coram Carolo Cæſare pro expugnatione Tuneti orat. 1535.

Ne-

Neapoli, totius Ordinis Primas aſſumitur 24. Maij. 1539.

Tertiò confirmatur Ordinis Præſul, & ad Tridentinam Synodum pergit. 1546.

Inſulam reijcit Aquilanam. 1551.

Legatus Neapolit. ad Cæſarem mittitur, & Antiſtes renunciatur Salernitanus. 1553.

Neapoli in funere Caroli Cæſaris tertiò orat 24. *Febr.* 1559.

Sacrum, Pij IV. Pontificis iuſſu, Inquiſitionis Tribunal regit 21. *Decembris.* 1560.

De librorum, Pontificis iuſsu, moderando Indice, cogitat, Pontificio Galero donatur, legatus Tridentinum Concilium petit 26. *Maij.* 1561.

Magnis pro Eccleſia, pro Concilio, pro Pontifice laboribus functus, ſeptuagenarius Tridenti quieuit 17. *Martij.* 1563.

Doctrina, probitas, fama Hieronymi tanta ſunt, vt Elogijs vltrà non egeant. Omnem à puero in Deum ſpem ponens, illud ſæpius repetebat, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. *Nec fruſtrà; dum ſortitus animam bonam, breui ſanctiores Ordinis Patres aut æquauit, aut ſuperauit. Humanas diluculò, & diuinas litteras didicit; quas non ſolum Italæ, Græcæ, ac Latinæ; ſed Hebraicæ, & Caldaicæ, linguæ illuſtrauit cognitione. Romam ab Ægidio accerſitus Viterb. Philo-*

loſophiæ, ac Theologiæ paleſtris inclaruit, & magnà cum laude annorum tantum 21. *Secretarij Generalis exercuit munus. Sacris Bononiæ Magiſtratus donatus inſignibus, tanta ſibi elegantià, & maieſtate concionum gloriam peperit, vt ſub Paulo III. Summus primò Vicarius Ordinis, deinde Magiſter in Congreſsù Neapoli habito Generalis ſit nominatus. Doctrinam eius, & indolem admiratus Carolus V. Salerni Antiſtitem quamuis recuſantem pronunciauit, cum tamen ante ab eodem, oblatam Aquilæ mitram, litterario diues otio, non admiſiſſet. Quæ omnia cum ſingulari prudentià, ac laude geſſiſſet, Pium IV. benignè impulère, vt Seripando purpuræ inſignia, honoremque deferret, & paulò poſt Tridentini Concilij Apoſtolicum Legatum in magnum Reip. Chriſtianæ, & Apoſtolicæ Sedis ornamentum, renunciaret. Qui dum Tridenti mens omnium, & oculus vigilat, ea quà ſemper vixerat, probitate dormiuit in Domino, & ibi in Eccleſia Ord. eſt tumulatus, non verò Neapoli, vt putauit Petramellarius.*

Scripſit Comment. in Epiſt. Pauli Neapoli 1601.

In Epiſt. Canonicas.

In Euangelia Quadrageſimæ.

Contrà Hæreſes.

De Iuſtificatione.

De Symbolo Romæ 1586.

Sermones De Sanct.

Hiſtoriam Ord.

Orationes.

De Peccato Orig.

Farraginem eorum, quæ in Tridentino diſcuſſa ſunt.

De Sacramentis.

De Prædeſtinatione, Gratia, & Libertate.

Conciones, & Epiſtolas.

In Orationem Dominicam.

Itinerarium, & alia, quæ manuſcripta Neapoli vidimus in Bibliotheca S. Ioannis ad Carbonariam, quam ipſe optimis, & elegantiſſimis libris ornauit.

SI quis honos tumuli; Quantum Sol lampade luſtrat;
Terrarum, Cęlique tuum eſt Seripande ſepulcrum.

ELOGIVM LXXXVII

BEATI ANTONIJ DE ROA HISPANI.

LEMMA.

Antonius illæſus in flammis, iiſque in modum lectuli expanſis, Chriſtum Indis concionatur. Ex Grauina, Pamphilo, Sanmartino, Cruſenio, Herrerà ad annum 1563.

HVc Verbi Quiſquis ab æſtu,

Et

Et ardore frigidus es,
Et Verbum, quod in Antonio factum eſt Vide.
Erèmi Seraphim igne deſupèr eruditus
Nouo barbaros igne calefacit,
Et ſuum ponens aſcenſum rogum,
Flammeam vitijs extinguendis liquatur in pluuiam.
Ignem nouum Sponſi amicus
Miſſurus in terram exarſit vt ignis,
Immò ardens, atque non ardens
Voces ignis emittit è flammà,
Flammàque non noxia.
Vbi ergo *ardores* ignis?
Cum flamma lucens, non calefaciens
Secernat officia,
Et vrens impios, refrigeret iuſtos?
Omnis ſermo Dei ignitus ſit;
Igneus nunc in Antonij lingua Vehementius
Mutatur in fulgura,
Et tela ignea nequiſſimi extinguens
Vide, quæ ſæua flammarum,
Et vitiorum reſtinguat incendia!
Jgne ergo, non aqua fit ſalus,
Dum puerperio Charitatis, aut aqua ignis,
Aut ignis nouo fædere factus eſt aqua.
Priſca aut ergo naſcetur fides,
Aut nouę Indorum Fidei nutriendæ
Renatæ ſunt *flammæ*.

Ignis ergo hic Chriſtus eſt,
Cum purgans animas, conſumat errores,
Et ligmini, ſtipulas, fœnum exurens,
Euangelicum probet argentum.
Quid ergo de frigore charitatis Europa cõqueritur?
Malo vitiorum igne decocta
Ignem bonum indigna non nouit,
Atquè ità malo conſumitur,
Et bono non proficit.
Redi Lector, & *rogus* hic eruditio tua ſit.
Ardère Oratorem neceſſe eſt,
Auditorem ardère ſi cupiat.

CHRONOLOGIA.

ANtonius Nobili, & honeſto genere natus ex Canonico Roenſis Ecc. in Aſceterio Burgenſi fit noſter anno 1524. *Superiori ſpiritu accenſus ann.* 1536. *Mexicum nauigat. Seuerioris auſteritatis, ac zeli Vir cingulum ex durioribus animalium pilis contextum, ſubtus veſtem perpetuò adhibuit. Longum ex herbarum radicibus ieiunium trahens inediâ, nuditate, cilicio, lacrymis in ſe Barbarorum admirationem conuertit, & fidem. Ut flammas criminum flammis exureret diù ſuprà prunas inceſſit, illæſus ſemper. Ità in carne viuens, & ſuprà carnem, cum miracula plura*

plura patraſſet, diem virtutibus, & Sanctitate notiſſimus clauſit Mexici 1563. 14. *Septembr.*

PROGRAMMA.

Venerabilis Antonius De Roa Erem. S. Augſtini. 1987.

ANAGRAMMA.

Ignitum eloquium tuum vehementer. Pſal. 118. 1987.

EPIGRAMMA.

ASpicis, vt ſacro feruens Antonius igne,
Ardeat, & paſſum comprobet igne Deum.
Attonitis ardent congeſta incendia prunis,
Et timet illæſas lædere pruna niues.
Fortior intus agit; foris ardet mitior ignis;
Non ergo exterior flamma nocere poteſt.
Dixit, & intacto tranſiuit corpore flammas,
J nunc, & dextram Scæuola tolle tuam.

ELO-

BEATI ANDREÆ DE QVATRIEBAS GALLI.

LEMMA.

*Andreas Nemauſij in Galliâ propter Verbum Dei compre-
benſus, ferreâ primùm includitur caueâ, deindè
lingua, & digitis amputatis, ac Viuenti pelle
detracta, & capite abſciſſo in puteum
immergitur à Caluiniſtis. Ex Sim-
pliciano à S. Martino, Mai-
gretio, Herrerà, ad
annum 1567.*

TE verò quò penicillo pietatis
Andrea deſcribam,
Qui primo flore iuuentę
Agni Sanguine candidatus
Purpurata Fidei Victima, & flos cecidiſti.
Stetiſti fortiſſime cædentibus fortior,
Nec Tù ſupplicijs, ſed tibi potius
Superata ceſſère ſupplicia.
Doloribus finem, quem congeſta tormenta
Non dabant, coronæ dederunt,

Et

Et diù cædentium, ac laniantium
Cultra carnificum
Cæſum toties, ac laniatum corpuſculum Vicit.
Romanam vincere Fidem
Sæuiens diù, ac repetita romphæa non potuit;
Et frementem Caluini perfidiam pelle exutus,
Præciſus digitis, lingua reciſus,
Plexus capite vicit Andreas.
Attoniti horruère Iudicum oculi,
Laſſæ cecidère Carnificum manus;
Cum ille inter cędes, & flagra vegetior,
Damna, laqueos, ignominiam,
Et ſupplicium omne contemneret.
Quid primum ergo hìc admiremur,
Vbi omnia miraculum ſunt!
Doctrinam? Sed cruciatus erat in corpore,
Voluptas in animo,
Cum tantum torqueretur Andreas in corpore,
Et liber animus, Chriſto intus propinante,
Reſponſa ſuggereret.
Tormenta? diù viuere, imò mori coactus eſt,
Et tamen fatigato diù Carnifice, fruſtratro Tyrāno,
Quantum Tortor ſęuit ad pęnam;
Tantum Martyr creuit ad prẹmium.
Conſtantiam? pelle extracta, reciſis articulis,
Et compage viſcerum rupta
Vulnerantur non membra, ſed vulnera,

Et

Et tamen integer animo,
Cęſim corpore diminuto
Et pugnauit, & ſtetit Andreas,
Ita hoſtia Deo gratiſſima
Pelle extracta, conſumpta eſt;
Ità Martyris patientia coronata,
Ità Tortoris condemnata perfidia eſt.
Redi Lector,
Et duo hęc in Andreæ perpende certamine,
Andreę patientiam, Tyranni ſæuitiam;
Sęuitiam, vt deteſtèris; Patientiam vt imitèris.

CHRONOLOGIA.

Andreas egregius Verbi Dei Eccleſiaſtes, & Nemauſiani Epiſcopi Adiutor, Romanæ à Caluiniſtis renunciare Fidei iuſſus reſpondit ſe ſe mille potius tolerare ſupplicia velle, quam à verà, & Catholicà Fide deſciſcere. Quod cùm diù coram Iudice prædicaret, & Hęreticum ſcelus argueret; linguam illi cum digitorum extremitate lictores abſcindunt, & viuo pelle detractà, ac capite plexo, in puteum Caluinianà barbarie immergunt. Conſummauit nobilem pugnam ann. 1567. ætatis circa 30. Cum prius tamquam alter Stephanus in Cælum oculos extuliſſet, & pro Perſecutoribus exoraſſet. Grauina in voce Turturis, & alij.

Qua-

Qualiter, in Scythicà religatus rupe Prometheus.
Aſſiduam viuo Viſcere pauit auem.
Exertæ nudum pectus Quatiebra bipenni
Sic dedit, & rigidis membra ſecanda flagris.
Vulnera non fixit ferri laniena, ſed exta,
Cum noua non poſſet vulnera ferre cutis.
Sulcabant artus venis ſtillantibus vngues,
Inque omni nuſquam corpore corpus erat.
Denique ſupplicijs maior per tela, per enſes
Obtulit inuictum fortior enſe caput.
Sunt hæc digna tuis Francorum Terra triumphis.
Hos Pugiles Terram Martis habere decet.

ELOGIUM LXXXIX

ONUPHRIJ PANVINIJ FASTORVM, ET ROMANÆ HISTORIÆ PRINCIPIS.

LEMMA.

Onuphrius omnium Primus Romanam Hiſtoriam, & Faſtos Conſulares è tenebris eruit. Ex Sigonio, Paulo Manutio, Iuſto Lipſio, Curtio, Bergomenſi, Cruſenio ad annum 1568.

PAnuinius natus magis tempora ornare,

Quam viuere,
Vitam breuiorem ideò duxit,
Quia illam ſpe æternitatis produxit in libris.
Romanæ Hiſtoriæ lumen, ac Dux
Obſcura omnium prius antiquorum
Produxit in lucem,
Et ſepultos conſulum faſtus, ingenij acumine,
E' tenebris eruens,
Nouæ, vel antiquæ reſtituit luci.
Scriptores omnes, qui diſcis, Panuinium neſcis,
Omnes diſcis, Panuinium qui ſcis.
Eò *Antiquorum Scrutator* adiuit, quò nemo venit,
Eò venit, quò nemo præiuit:
Incipiant alij, cum conſummauerint,
Panuinius, vbi conſummauerunt alij, Cæpit.
Tantum illud librorum Helluo neſcijt,
Quod diſcere noluit;
Tantum illud ſciuit, quod nemo didicit.
Lecta pariant aliorum ſcripta contemptum,
Panuinium nemo legit, quin pluris fecerit,
Nemo intellexit quin, & magis ſit admiratus.
Amor omnium ſimul, ac horror,
Rerum ordine, ac nouitate,
Hiſtoricos terruit,
Et omnium vel extinguens, vel ſuperans famam,
Argumentum Poſteris dedit,
Admirandi, non imitandi.

Admi-

Admirare Lector, & tù
Nam vt benè nullus totum adhuc Panuinium nouit,
Ità nullus pro meritis adhuc
Commendare Panuinium potuit.

CHRONOLOGIA.

Onuphrius Patrià Veronenſis, gente Panuinius anno 1529. *ex antiquà, & perilluſtri Familià naſcitur. Veronæ adhuc Adoleſcentulus cingulum induit, votoque ſe obſtrinxit. Romam accerſitus à Seripando præclarum nominis brauium obtinuit, omnium laudem. Et meritò, nondum enim duodecimum annum excedens totum ſe ſe intelligendis, & ſcribendis hiſtorijs dedit, in quibus ità præcelluit, vt paucos, inter multos habuerit pares, maiorem nullum. Nimirum ſatis conſtat res romanas priorem illum è parietinis eruiſſe, facemque omnibus prætuliſſe; quà rerum poſteà ſeriem, ac temporum faſtus inuenire facillimè poſſent. Tomos duos annalium primos, quos tantò Eccleſiæ fructu, ac ornamento Baronius ſcripſit, Panuinium ante delineaſſe, ac primam eorum graphidem poſuiſſe conſtans eruditorum ſententia eſt. Hinc illum Iuſtus Lipſius* Patrem Hiſtoriæ, *ac faſtorum, Paulus Manutius* Helluonem antiquitatis, *Scaliger Optimum Virum, cui Romanæ memoriæ debent, debebuntque appellare non dubitarunt. Hinc illum, non*

ſolùm Viri Eruditiſſimi, ſed Magni Principes præcipuè Marcellus 2. & Alexander Cardinalis Farneſius vnicè amarunt, ac ſuſpexerunt. Sed Panuinio diù viuere, & diutius laborare difficile erat. Nam dum eumdem Farneſium Cardi. In Siciliam ſequitur comes, Panormi, fato iniquo, quod prematuro è viuis eripitur anno 1568. ætatis ſuæ 39. Illum Reſpublica litteraria diù fleuit, & Romæ Amici in ęde Ordinis Cenotaphio bonorarunt cum Æneà imagine; quæ adhuc cernitur. Scripſit Doctiſſimus Vir ſupra 65. diffuſa, rara, ac erudita volumina, ex quibus plura typis vbique omnium fructù excuſsà ſunt. Malè alia perierunt, alia verò expuncto etiam Panuinij nomine circumferuntur, vnde vt ſuus Auctori ſtet honor, indicem damus eorum, quæ iam publicam lucem viderunt.

Epitome Pontificum Romanorum. Venetijs. 1557.
Cardinalium Nomina, inſignia, tituli, Patria. Venetijs 1557.
Platina De Vitis Pont. reſtitutus. Venetijs 1674.
De Septem Urbis Eccleſ. Coloniæ 1584.
De Primatù Petri. Venetijs. 1591.
Chronicon Eccleſiaſticum. Louanij 1573.
De Antiquo ritù Baptizandi, & conſecrandi imagines cereas, ſiue Agnus Dei. Romę 1560.
De Sybillis, earumque Carminibus.
Chronicon Ord. Erem. S. Auguſt.

Inter-

Interpretatio vocum Eccleſiaſticarum, quæ obſcuræ ſunt.
De Ritù mortuos ſepeliendi.
De ſtationibus Urbis.
Faſti Romanorum. Venetijs. 1573.
Faſtorum Appendix. Venetijs. 1588.
De ludis Sæcularibus. Venetijs. 1588.
De Antiquis Romanorum nominibus, & Familijs, Venetijs 1588.
Commentaria Rom. Reip. Francofurti. 1597.
Commentaria De Triumpho. Patauij 1642.
Comment. in Faſtos Conſulares.
Ciuitas Romana. Venetijs. 1558.
Pontificum Elogia, & imagines.
De Imperatoribus Romanis, Græcis, Latinis, Gothis, Francis &c.
De ludis Circenſibus. Venetijs, 1642.
Libri, qui prodierunt manuſcripti.
De Comitijs Imperatorijs.
De Eccleſia, Baptiſterio, & Patriarchio Lateranenſi.
Hiſtoria Familiæ Frangipaniæ.
Hiſtoria Familiæ Sabelliæ.
Hiſt. Maximorum.
Hiſt. Cenciorum.
Hiſt. Matthęorum.
Libri abſoluti, ſed non editi in lucem.
De Origine Septem Sacr. Ordinum.
Collecta De ceremonijs, De Miſſa, De Indulgentijs &c.

De

De Dignitate Sedis Apoſt. contrà Centuriatos.
De Creatione Summorum Pontificum, morte, inter regno &c.
De Origine Cardinalatus.
Chronicon Eccleſiaſticum.
Vitæ quatuor Patriarcharum.
De Antiquis, & nouis Eccleſijs Urbis.
Iudicium de Hiſtoricis Latinis, & Græcis.
De Ædificijs Romæ.
De Superſtitione, ſacrificijs, ſortibus, & augurijs Antiquorum.
De Porticibus, & Inſcriptionibus Roman.
De Veronæ Antiquitate.

Libri partim delineati, partim abſoluti, partim incępti, ſed non recogniti.

De Antiquis inſtitutis, & Ritibus Eccleſ. Rom.
De Officijs antiquis, & Magiſtratibus Romanorum.
Collectio Conciliorum.
Vitæ Archiepiſcoporum Aquileiæ, Gradenſis, Rauennæ, Mediolani, Maguntiæ, Treuirenſis, Coloniæ, Toleti, Conturberij, Senonenſis, Lugduni, Carthaginis &c.
Hiſtoria Ord. Erem. S. Auguſt., & De Origine aliarum Religionum.
Hiſtoria Eccl. Uniuerſalis.
Breuiarium Imperij Rom.
Volumen, quò Uniuerſus Mundi deſcribitur Status; vbi

De

De Politia, Hæreſibus, Sectis, Hebræis, Mahometanis &c.

Barbara dum priſcæ reddis miracula luci,
Et noua Romano ſæcla redire iubes.
Antiquis ſeruatur honos, Te Vindice faſtis,
Et vitæ aſſurgit Roma ſepulta ſuæ.
Sic ea, quæ ſperni non intellecta ſolebant,
Occurrunt oculis obuia quæque tuis.
Saxa legi haud olim poterant, Te Interprete primum
Panuini incipiunt ſaxa vel ipſa loqui.

ELOGIVM LXXXX

BEATI DIDACI ORTIZIJ PROTOMARTYRIS PERVANI.

LEMMA.

Didacus ferreâ reſte, Bruti in modum maxillâ transfixus, per vicos, & compita Ludibrio trahitur, paloque configitur. Ex Maygretio, Brulio, Elſſio ad annum 1568.

ARmet ſe fortitudine pectus,
Aut furore, neceſſe eſt;

Ubi

Vbi infandam Didaci mortem,
Et tormenta recogitat animo.
Agnus innocens ignominias omnes, & probra
Deuorare pro Chriſto ſollicitus
Aſcendit ad palmam;
Et ſui ipſe funeris Vector, ac Præco
Verbo trahit, quos ligno non attrahit.
Extaticus Pugil
Charitatis impetù raptus
Humo ſe attollit,
Et terram indignatus luctatur in aere.
Idem ſibi Murus, & Aries
Cęlum arietat violentià ſui,
Eodemque patiens, & vincens in ligno
Horrore vnde ſupplicij,
Inde honore triumphi lætatur.
Suum iactet Herculem Græcia,
Noua Didacus eloquentià corripit Indos,
Dum ferro animos, non auro componit.
Botrus Cypri ligno ſuſpenſus
Autumno præludit,
Et ſuo mentes Barbarorum exhilarans muſto,
Antiquo vtres nouos lætificat vino;
Torcularia noua vindemià.
Vites ſuas Indica *Eremus extendet ad mare*,
Et arbuſta Libani replens
Vno omnes dedicabit in Didaço Martyres.

Tro-

Trophæum palus iſte erit, & ſignum,
Et ſuo Ortizius omnes
Aut exemplo, ſuadebit, aut verbo.
Perge lector & lignum hoc eruditio tua ſit;
Tua etiam palo Crucis affixa ſors eſt;
Nec alia præter Crucem ad Cælum eſt via.

CHRONOLOGIA.

Didacus Ortizius Patria Caſtellanus, genere Hiſpanus, Hiſpali Monaſticam induit, & Sanctorum Scientiam diſcit. Superiori ſpiritù incenſus anno 1559. *Peruuiam nauigat, vbi innumeros Sanctitate, verbo, exemplo regenerat Chriſto. Apprehenſus à Barbaris in Vincula inijcitur; Ubi calumnijs, probris, verberibus ad miraculum ſuperatis, maxillà candenti ferro transfigitur, & catena in modum funis per vicos, & compita vſque ad Leucas* 15. *diriſſimè tractus, victricem animam Deo reddidit anno* 1568. *Vilcabambæ. Reliquiæ eius*, ſicut odor agri pleni, *cui Dominus benedixit; Cuſqum pio furto tranſlatæ ſunt anno* 1598. 28. *Auguſti vbi honorem Populorum, & cultum habet; miraculis fulget ab obitù, & de eo Canonizando apud S. Rituum Congregat. peractum eſt. Agunt de illo innumeri Auctores De Calancha, Joachinus Brulius, Fulgentius Baldanus, Nicolaus Suarez, Cyprianus De Herrerà, Salinas, Corduba &c.*

 EPI-

EPIGRAMMA.

INdia, quæ Liguri reddis tam magna Columbo,
Maiora Ortiſio reddere iure potes,
Nempe is Te inuènit, Didacùs reuocauit ab orco;
Illud mortale eſt, hoc reor eſſe Dei.

ELOGIUM LXXXXI

ANDREÆ DE URNADETA APOSTOLI, ET INVENTORIS PHILIPPINARUM,

LEMMA.

Andreas Nauticæ, & rei bellicæ peritià inclytus nouas cum noſtris reperit Inſulas, quas ad Fidem primò conuertit, & à Philippo Secundo Rege Hiſpaniarum, primum Philippinas vocare incipit. Ex Herrera, Elſſio, Cruſenio ad annum 1568.

PRiſcas, Matheſeos, *Spheras* abijcite,
Nouas, vbi non ſpeculatur Vrnadeta,
Sed reperit Inſulas.
Iaſon inclytus fidei terminos extenſurus,
Et Charitatis
Ignotum primò traijcit Mare,

Et Vela in altum magiſterio explicans Verbi,
Quò nèc Verbi peruenerat nomen,
Imperium prius Chriſtianum inuexit, & fidem.
Quidquid de ſuo mentiantur *Timotheo* fabulæ.
Andreæ non Fortuna Vrbes in rete,
Sed Sapientia effudit & Maria.
Piſcatorum Fortunatiſſimus
Non argenti, ſed animarum;
Rete vbique explicat Verbi,
Et magna vndiquè cete piſcatus,
Vide quam pulchra *piſcatione* repleuerit retia!
Quieſcant alij capta præda; & diuidant ſpolia;
Omnes irrequietà anchorà Andreas
Inſularum ſcrutatur anfractus,
Et cum ducenta, vel ſuprà irretierit hominũ millia;
Integra in littore non componit,
Sed explicat retia.
Date Superi Auguſtino nouos Andreas,
Nouæ Petro, ſub Andrea
Naſcentur & Inſulæ.

CHRONOLOGIA.

Andreas Hiſpanus natione, in Oppidulo Villæ Francæ Prouinciæ Guipuzcoè Cantabriæ naſcitur anno 1498. *Sæculari relictà militià anno* 1553. *Mexici Auguſtini militiæ adſcribitur. anno* 1564. *ob ſum-*

ſummam rerum peritiam, Coſmographyæ, & Nauticæ vſum; nouæ Rege Catholico magis orante, quam imperante, preficitur claſſi; Moluccas primò, deinde ſpecioſam reperit Inſulas, quas primò à Regis II. Philippi Nomine Philippinas vocare incipit. Primus omnium vnà cum noſtris pęnitentià, verbo, miraculis earum Populos Chriſto regenerat, & ità proficit; vt ſoli primis annis Auguſtiniani ad ducenta conuerterint millia, bodièque viginti ſuprà Cęnobia, vna cum centum Paręcijs inueniantur ædificaſſe. Obijt fidei, & Apoſtolici Zeli Vir Mexici anno 1568. 30.*Iunij*, *ætatis ſuæ* 70. *Religionis* 15. *Videatur Herrera, Boterus in Relat. Torellius, Cruſenius p.* 3 *c.* 39.

PROGRAMMA.
Andreas De Vrnadetta Ord. D. Auguſtini. 1216.

ANAGRAMMA.
Me Inſulæ expectabunt. Iſaiæ 51. 1216.

IMpatiens noti Pelagi, Terræque; remotas
Ignoto Andreas lintre flagellat aquas.
Barbara nec terrent generoſi pectoris ignes
Æquora, nec tantum Tethyos vnda iubar.
Vnus Alexandro terræ non ſufficit Orbis,
Non vna Andrèæ eſt Terra, nec vnda ſatis.

ELO-

ELOGIVM LXXXXII

FABIANI CLAVARIJ GENVENSIS TOTIVS ORDINIS PROCVRATORIS.

LEMMA.

Fabianus Theologiam Patauij docet, cum Sancto Thoma Villanouano Conſtitutiones antiquas examinat, Prouincias Vmbriæ, Inſubriæ &c. regit, Abbas S. Mathæi Genuæ renunciatur. Ex Pamphilo, Poſſeuino, Herrerà, Oldoino, Soprano, Cruſenio ad annum 1569.

FAbianus,
Minimum cuius ornamentum, nobilitas fuit,
Maximum Virtus;
Eremi inclytos famà æquauit,
Virtutibus Vicit.
Adoleſcens doctrinæ lumina,
Pietatis ardore coniungens,
Doctrinę addidit, dum reddidit piam,
Addidit pietati, dum reddidit doctam.
Honores citò aſſecutus, ſi numeres annos,
Serò ſi merita;

Vir-

Virtutes præmijs coronauit, Virtutibus præmia.
Bono magis aliorum, quam ſuo natus
Aſſiduè præfuit, laude ſingulorum,
Querelà nullius.
Præſulem ſe non exiſtimans,
Niſi Vnum cum ſuis eſſet;
Inceſsù, habitù idem
Sola dignitate diſtauit à ſubditis.
Legum æquè cenſor, ac Vindex
Antiqua roborauit, dum noua addidit,
Noua roborauit, antiqua dum abſtulit.
Nihil pietatis in munere amittens,
Modeſtiæ adijciens,
Exemplo Principes prouocauit, deuinxit obſequio.
Amandus, quod doctrinam modeſtià vinceret,
Admirãdus, quod Eutrapeliã ſuperaret beneficẽtia.
Amandum, non timendum Præſulem ratus,
Amari Voluit, timeri non voluit.
Vindictæ incapax, iræ non capax,
Hominum didicit Vindicare delicta, non homines.
Ad pęnam tardus, Velox ad pręmium,
Pęna paucos, pęnę plurimos metù coercuit.
Donandi impatiens, rogari non appetens
Violentià charitatis pręuenit ſingulorum,
Non diſtulit, Vota.
Vt alijs imperaret; imperans ſibi,
Dei ſubditos,.

Se

Se ſubditorum mancipium fecerat.
Præcepto abſtinens, nè iuberet,
Tenaciſſimus ſi iuſſiſſet;
Honorum in culmine,
Obedire, iubere non voluit.
Regnare, obedire ſub illo fuit,
Cum ſibi omnes obedirent;
Præciperet nullus.
Perge Lector.
Fabius alter expectando ſeruauerit rem,
Alter feſtinando rempublicam auxit.

CHRONOLOGIA.

Fabianus Auguſtæ Ligurum ex illuſtri, & antiquà familià natus in Aſceterio veteri S. Mariæ Conſolatricis Monaſticam induit circà ann. 1510.

Peruſiam ſtudiorum causà ſe confert. 1514.

Sacræ facultatis ornatur inſignibus. 1521.

Theologiam Patauij docet. 1522.

Congregationis Genuenſ. Comitijs præeſt, & eius omnium votis præfecturà renunciatur. 1525.

Romæ in Comitijs Ord. vnà cum D. Thoma Villanouano veterum Conſtitutionum aſſumitur Cenſor. 1543.

Congregationem moderatur Illicetanam, quam

Ge-

Genuenſi Vnire ſatagit. 1546.

Romæ in Comitijs Ord. Prouinciæ Inſubricæ Præfectus eligitur. 1547.

Romæ Unanimi Patrum Suffragio Procurator Generalis inauguratur. 1553.

Romæ Ægid. Opuſc. corrigit. 1554.

Genuam repetit, & Congregationis Inſubricæ Patres à Genuenſi S. Auguſtini Cœnobio expellit. 1556.

Progeneralis ad Prouincias, & Congregationes Terræ laboris, Aprutij, Calabriæ, Apuliæ nauigat. 1560.

Laboris impatiens, & pacis Amans præfecturà ſponte ſe abdicat. 1562.

Genuæ à M. Andreà De Aurià honorificè excipitur, & Abbas eodem Auria ſatagente renunciatur S. Matthæi. 1562.

Octuagenarius migrat ad ſuos 2. Aprilis. 1569.

Doctrina, *inquit Seripandus in regeſtis*, Fabiani ſingularis, & vita integerrima in illuſtri loco ſunt poſita, *& noſtris vltrà non indigent laudibus. Vir ſanè fuit, ſi quis alius de Religione optimè meritus, & bonorum memorià dignus. Multum omninò Congregatio illi debet ob innumera in Aſceterium Genuenſe collata donaria, magis illà tamen Religio debet, Prouincias cuius, & leges ſanctiſſimè inſtituit, & prudentiſſimè eſt moderatus. Congregatio illo Rectore, imò Ordo totus nunquam vegetior, aut tranquil-*

lior

lior viſus eſt. Ipſi tantum negocia Ordinis immani hac tempeſtate Eminent. Seripandus, cum quo in Tridentinà Synodo fuit, & Chriſtophorus Patauinus commendare conſueuerunt. Prima laudum ipſius eſt ſumma probitas, & ſapientia, & cum ſapientia humilitas ſumma, quà honores nullos concupiuit, habuit omnes; Vnde omnem illi auctoritatem tàm Domi, quàm foris, tàm intrà, quàm extrà Italiàm conceſsère Superiores. Ex Regeſtis Ord. Elſſio, & alijs. Scripſit Tractatum De Cambijs Genuæ 1569.

Orationes in Sacello Pontific. habitas Romæ 1555.

Et alia, quæ incurià familiari *amiſſa ſunt.*

Digna legi ſcribis, facis & digniſſima ſcribi.
Scripta probant doctum, ſed mage facta probum.

ELOGIUM LXXXXIII

B. LVDOVICI DE' MONTOIA CASTELLÆ REFORMATORIS, ET LVSITANIÆ.

LEMMA.

Ludouicus eloquentià, & Sanctitate in paucis inſignis reformationi Caſtellæ incumbit, Conimbricenſe Collegium erigit, Infulas reijcit, miraculis fulget. Ex Poſſeuino, Gratiano, Herrera ad ann. 1573.

TVis Vliſſipon
Ludouicum attolle Cimelijs,
Nemo illo te Sanctius ornauit, aut pulchrius.
Virilis Infans, moribus Senex
Annorum numerum puerili ſenio auxit,
Suppleuit ingenio.
Ità Diſcipulus, vt Magiſter haberi poſſet;
Neſcias vtrum magis doceret, an diſceret;
Imò plura quam diſceret, docuit;
Cum humana diſceret tantum, diuina doceret.
Auditores minus ore, plus manù Componens
Uerbo parum erudiuit, plus actione.
Abſtinentià, precibus, fletu
Tyrocinia ferens palmarum
Spinas eruit vbi erant,
Et auertit vbi non erant.
Eremi aridam doctrinis abluens, ſudoribus alluens
Promethei citrà commentum
Non luto Homines informauit, ſed Abrahæ Filios.
Mollitèr alij obediant, & durè præcipiant;
Nemo mitius obediuit, ac ille præcepit.
Regum imperio dignus, qui ità præceperat,
Subditorum dignus obſequio, qui ſic obedierat.
Aulæ clauus, Eremi ſpes
Eremo decorem; pietatem reſtituit Aulæ.
Honores omnes aſſecutus, tumidus nullo
Ho-

Honori detraxit, honori cum ceſſit.
Cum tandem dignius non poſſet viuere,
Indignè nollet;
Æqualem meritis non reiècit, reperit inſulam
Anno 1573.
Norma Regum, quod ità docèret,
Populorum, quod ità faceret.

CHRONOLOGIA.

Ludouicus occidentis Heſperiæ Lucifer apud Bello montem in Arragonià ex honeſtis Parentibus natus 15. Maij. 1497.

Salmanticæ ad D. Auguſt. Monaſticam induit. 1514.

Anno elapſo voto ſe obſtringit 28. Aprilis. 1515.

Magiſter propter Magnam indolis ſpem renunciatur Nouitiorum. 1521.

Sedis Apoſt. auctoritate reformationi Caſtellæ incumbit. 1528.

Antiquæ Luiſitaniam formæ reſtituit. 1534.

Ioanni Tertio Luſitano ab Arcanis Conſcientiæ præeſt, & ære regio primus Conimbricenſe Collegium extruit 13. Ianuarij. 1543.

Abbas S. Petri De Ceite Luſitanæ Diœceſis eligitur 25. Febr. 1551.

Prouinciæ Luſitanæ Præfectus aſſumitur, & recuſat Epiſcopatum. 1565.

 S. Igna-

S. Ignatio De Loyolà per litteras notus eidem ingreſſum Societatis Vlyſippone à Ioanne III. impetrat. 0000.
Annis, & meritis plenus Lixbonæ decubuit 7. Septembris. 1569.
Vbi iacet cum hoc Epitaphio.

Mole ſub hac Lapidum Montoiam è Bethide Tellus
Luſitana tegit, ſi tamen illa tegit.
Cuius ab exculptu nullis ſtat decolor annis
Viuida Religio, non iacet ille iacens.

Scripſit Uir Sanctus Tractatum De Paſſione Chriſti, qui inter Opera S. Franciſci Borgiæ, ſupreſſo nomine Ludouici *impreſſus eſt*.
Sermones De Concept. Uirg.
Uitam Chriſti ex 4. Euang. in modum Soliloquij Animæ ad Deum.
Regulam, ſecundum quam Reges ſe, & Regnum componere debeant.
Et plura alia. Agunt de illo Cruſenius, Pamphilus, Gandulphus &c.

ELOGIVM LXXXXIV

ALEXIJ STRADELLÆ EPISCOPI NEPESINI, ET LEGATI PONTIFICIJ AD CAROLVM AVSTRIÆ.

LEMMA.

Alexius prudentià, & eloquentià inſignis in Tridentina Synodo orat, ad Epiſcopatum Nepetæ aſſumitur, deſtinatur Legatus in Auſtriam. Ex Gratiano, Herrera, Craſenio ad annum 1580.

ALexius honorum meritis Magnus,
Virtute Maior,
Meritis ſuperauit honores, quos geſſit;
Virtute meruit, quos recuſauit.
Splendorem Sanguinis nè deſideres,
In eo non deſijt nobilitas, cępit.
Detrahat Fama aliorum famæ dum addit,
Alexio addidit Fama, cum detrahit.
Inter coetaneos primus, & ſemper Primas,
Talis à puero orauit in Patrià,
Qualis in Senio perorare Tridenti debuerat.
Magnà ęquè agere ſciens, ac dicere,
Totum ſe auribus infudit, ac animis;

Elo-

Eloquens, dum ad aures non loqueretur,
Sapiens, dum æquè auribus placeret, ac animis.
Nepetæ factus Antiſtes
Inſulę dignitatem, cùm habuit dedit.
Verè Epiſcopus, quo Speculator
Vrbi ſe lumen, Plebi ſe Columen,
Se vniuerſis exhibuit Patrem.
Nuſquam pulchrior eloquentia',
Nuſquam fortior Sapientia viſa eſt.
Prudẽtia in illo, & doctrina de palmà contenderãt,
Et quæ vinceret iudicare difficile fuit.
Foris iuſtus, pacificus Domi,
Domi iurgia, foris odia,
Profligauit, vbique diſſidia.
Aulę Cato, Domi Mecęnas,
Nullum reiecit etiam ferum,
Admiſit omnes etiam reùm.
Fortunæ vbiquè, ſiue ſęuę,
Seù placidæ illudens,
Superauit induſtrià fatum,
Cum toties mutaretur non ipſe, ſed fatum:
Illius omnes ambière præſentiam Principes,
Jpſe nullius.
Dignus Cęſarem erudire, qui Petro placuerat;
Petrum dignus propugnare,
Qui inſtruxerat Cæſarem.
Tandem cum Satis, vel naturæ vixiſſet, aut glorię;
Obijt

Obijt meritis, quam annis grauior
Anno 1580.
Obire ſi potuit, qui ſemper viuit.

CHRONOLOGIA.

Alexius aui ſui Concionatorum nulli ſecundus, natione Etruſcus, Patria Fiuizanenſis Genuæ ad S. Auguſt. Monaſticam induit circa ann. 1530.

Verbo, & exemplo Ciuitates Italiæ luſtrat. 1540.

Laude eloquentiæ in Tridentina Synodo orat. 20. Maij. 1562.

Romæ ſummo plauſu concionatur, & bullam obtinet indulgentiæ prò Eccl. Genuenſi Bellouiderij à Pio IV. 1563.

Peruſiæ in Comitijs Ord. Procurator Generalis inauguratur. 1570.

Epiſcopus à Greg. XIII. Nepeſinus renunciatur 20. Iulij. 1575.

Nuntius ab eodem Græcium mittitur ad Carolum Archi Ducem Auſtriæ, quò dum pergit, quieuit in Domino 27. Auguſti. 1580.

Suæ eruditionis reliquit inſignia conciones duobus Voluminibus comprehenſas. Dialogos tres, alterum de humanà miſeria, De Amore Diuino alium, Tertium de Gloria Paradiſi.

Dum

DVm rogo, quem tecum valeam componere Alexi,
En mox attonito ſic mihi fama refert.
Deſine ſcrutari dixit, nec plura require,
Cur ità reſpondit, non habet ille parem.

ELOGIUM LXXXXU

THOMÆ A' IESV' LVSITANI.

LEMMA.

Thomas Marrochij captiuus in vinculis; Librum, *cui Titulus* Labores Ieſu componit, *quem ſuo, atramento deficiente Sanguine ſcribit. Ex Alexio De Meneſes, Herrerà, Maygretio, Elſſio ad annum* 1582.

QVam rebus ſuis ſemper affinia
Et apta ſunt nomina!
Thomas à Ieſu cognominatus
Ieſu neſcis an glorioſius ſuſtinuerit pœnas,
An ſcripſerit.
Pugil inclytus *in laboribus eruditus à iuuentute*
Luctatur in vinculis,
Et cęco ſinè Libris arctatus in carcere,
Laborum Ieſu Volumen

Suo defectù atramenti cruore deſcribit.
Igneus animus veram amoris
Prælecturus Philoſophiam,
Illam *Sanguine* adumbrat in paginis;
Et corde igneo intus exęſtuans
Foris in Sanguine ęſtuatum *effundit* & cor.
De ſuo quidquid Zacharias Volumine viderit,
Volumen ignis Volumen hoc
Flammas vndiquè accendit, aut fouet;
Nam quàcumque voluatur accendit.
Scriba doctus vmbrarum in lumine
Nouam cudens typographiam
Noua, & Uetera de theſauro publicat ſuo;
Et ſtylo Amantium ſcribens, ac patiens,
Editione verè Sanguineà
Ieſû dedicauit dolores, & ſuos.
Sua olim purpurà Cęſares
Trophęa deſcriberent,
Nouo Thomas amoris inuento,
Chriſti cruciatus exarat in Sanguine;
Et ad Caluariæ Archetypum,
Purpuratam ſui in Sanguine,
Et Crucifixi reliquit Imaginem.
Perge Lector, & Cęli Viam
Poſthàc lacteam eſſe nè credas;
Illam Sangnineam eſſe publicabit Editio hęc.

THomas laborum *Ieſù Perpeſſor*, & *Scriptor Conimbriæ ex illuſtri Andradorum familia natus ann.* 1529.

Ludouico De Montoia promouente Ulyſſippone habitum induit, & voto ſe obſtringit. 1545.

Conimbricæ theologiæ, & Verbo Dei operam nauat. 1549.

Magiſterio initiatur Nouitiorum, & reformationi Prouinciæ incumbit. 1556.

Prior eligitur Penę Firmæ, & Prouincię Viſitator. 0000.

Regem Sebaſtianum ad bellum ſequitur contrà Mauros, vbi vulneratus in Vincula inijcitur. 1578.

Marroquium ducitur, vbi omni pœnarum genere, ſiti, fame, verberibus, vinculis ad miraculum toleratis ex iugo Carceris ad libertatem Regni migrauit, vt ipſe prædixerat prima Paſchatis die 17. *Aprilis, ætatis ſuæ* 53. *Carceris* 4. 1582.

Scripſit piiſſimus Doctor labores Ieſù 1602. *Vlyſſippone.*

Contrà Iudæos.

Confeſſionale.

Vitam Chriſti.

PRO-

PROGRAMMA.

Thomas à Ieſù Eremit. D. Auguſtini. 1478.

ANAGRAMMA.

Ego vinctus propter Ieſum. Ad Philemon. 1478.

SPonte Crucifixi confeſſus vulnera Thomas
Aſſerit infandam ſanguinis imbre necem.
O' qualem vinctus patefecit carcere amorem!
O' quale eſt ſubitis caſibus ingenium!
Anne nouo Chriſtum voluit deſcribere amore,
An fidei potius reddere iura ſuæ?
Fama vola totum calamis hauſtura cruorem,
Et ſcribes, quod non deleat vlla dies.

ALIVD.

QVæ modo fulmineà vibrabas ſpicula dextrà,
Sanguineà hæc libras Candide Scriba manù.
Dextrà vtraque tonas, linguàque vtraque minaris,
Inde micas flammis, ſanguine & inde rubes.
Tanta tuæ Thomas celebrata haud gloria famæ,
Aut linguà, aut dextrà ſi caruiſſet, erat.

BEATI ALPHONSI DE OROSCO CAROLI QVINTI, ET PHILIPPI SECVNDI CONCIONATORIS.

LEMMA.

Alphonſus nonaginta annorum curſù, eandem ſine crimine ſemper innocentiam Vitæ conſeruat. Ex Toſſeuino, Stellartio, Herrerà ad annum 1591.

TAntum hic de homine Verbum eſt.
Præmoneri debueras lector,
Nè pluſquam hominem credens
Putares Deum.
Alphonſus dè Oroſco
Jmmani hac temporum fæce,
Nuſquam Victus, & ſemper Victor,
Nonaginta annorum bello
Contrà inimicum ſtetit, pugnauit, Vicit.
Diximus ſatis.
Maiora alij laudent in Alphonſo
Decora Uirtutum,
Scire pudet poſt pugnam hanc,
Quid vltrà præſtiterit; diximus ſatis.

Ce-

Celebrètur itaquè, vt Præco,
Laudetur, vt Doctor, tollatur, vt Vates;
Laudes omnes innocentia Vitæ præcellit,
Cum miracula ſigna ſint Fidei,
Signum Verò Sanctitatis integritas ſit.
Gloria ſit aliorum poſt lapſum aſſurgere;
Alphonſi nunquam cecidiſſe præconium eſt.
Condemnet iuſti Pueritia iniuſti Senectam,
Damnat puritas Senectutis ſordes infantiæ,
Vbi *candidus, vel in Sene* ſic rutilat pudor.
Protoplaſtorum Veneno
Nemo mundus naſcatur à ſordibus,
In Alphonſo vix cecidit Adam;
Aut vix peccauit in Adam Alphonſus.
In delicijs Paradiſi cecidit Adam.
Et in Sordibus ſtetit Alphonſus.
Quid ergò de peccato conquerimur Adæ?
Mores faciunt iſta, non tempora;
Cum Alphonſus naturæ non fuerit fortioris,
Sed Sanctioris.
Suam hac temporum fæce
Omnis caro corruperit Viam,
Nonagenarius Senex Alphonſus
Aduc retinens innocentiam non peccauit.
Diximus ſatis.

CHRO-

ALphonſus in Terris viſus eſt, vt eſſet exemplo, in Cęlum leuatus eſt, vt ſit patrocinio. Chriſtum ab Infantia imitaturus anno 1500. *in Territorio Talabricenſi ex Matre nobili, & religioſa in ſtabulo naſcitur. Piè educatus à Genitoribus Salmanticæ è manù Thomæ Villa nouani anno* 1523. *cingulum ſumpſit. Scientię lumina pietatis ardore coniungens, Veteres Ordinis Patres zelo, manſuetudine, oratione, & pęnitentià facilè æquauit. Strenuam Ordini reſtaurando operam dedit, & prima Talabricę in Hiſpania anno* 1566. *Congregationis Excal. initia poſuit. Dignitatum contemptor egregius infulas plures, eaſque primarias inuictè reiècit. Diuini vbique amoris ardens incendio calumnias, probra, dicteria æquo animo tolerauit, & florem pudoris illibatum perpetuò coluit. Paupertatis rigidus Cuſtos eleemoſinam tanti fecit; vt ſæpe ſe ſe egenis ſponderet in vadem, & pro ipſis contraheret debita.. Tantam ſibi concionando, & orando peperit laudem, vt illum Carolus V. & Philippus II. Reges non ſolum vnicè amarint, atque ſuſpexerint, ſed ſibi à ſacris concionibus eſſe voluerint. Sæpe à manibus Angelorum Sacrum Chriſti Corpus accepit, & extaſis, ac prophetiæ luminibus fulſit. Verus Auguſtini Sectator, & Filius Tractatum ſuarum confeſſionum in lucem dedit, vbi peccatum quæri poteſt,*

non

non inueniri. Matriti victrici, ac glorioſa occubuit morte anno 1591. 19. *Septembr. Corpus ſub arà maxima conditum fuit, & olim hac Epigraphe eſt decoratum.* Fr. Alphonſus de Oroſco Auguſtin. Caroli V. Auguſti, & Filippi II. Concionator eximius, Virginitate, humilitate, ſcriptis, pęnitentià, miſericordià in pauperes, & oratione celebris. ętatis ſuę 91. dormiuit in Domino, Spiritus inter Diuos relatus, verè diues, verè viuens. Corpus à ſuis veluti Sanctum ſub altari non lacrymis, ſed cantù reconditum obijt 19. Septembris anno 1591. *Actum eſt de eius beatificatione iam Romæ, ſed bellorum iniuria differt, quod Sanctitas exigit.*

Scripſit Marianus Eccleſiaſtes 47. *ſupra volumina, quæ ſe libro* 3. *c.* 9. *ſuarum confeſſionum, iuſsù Virginis repetito, ediſſe teſtatur in lucem. En Syllabus.*

In Cantica Canticorum.

Bonum Certamen. Salmanticæ.

Catechiſmus.

Examen Conſcientiæ. Venetijs, & vltimo Genuæ.

Hortus Orationis.

Directorium Animæ.

Memoriale Sancti Amoris.

Inſtitutio Vitæ Chriſtianæ.

Deſponſatio Spiritualis.

Conciones de B. Virg.

De

De Roſario Virg. vbi de eius Priuilegijs.
Orationes de Virgine.
Soliloquium de Paſſione Chriſti.
De S. Ioanne Bapt. & Euang.
De Agonia in Hora Mortis.
Sermones Quadrageſ.
Sermones de Sanctis.
Hiſtoria Eremit. S. Auguſt.
Uita S. P. Auguſt.
De Regina Saba.
Orationes in feſto S. P. Auguſt.
De Vitio Linguæ.
Sermones De Aduentù Saluatoris.
Liber ſuarum Confeſſ.
Epiſtolæ ad diuerſos.
Et plura alia Valliſoleti 1554. *Matriti* 1588. *Venetijs Latino, Italico, & Hiſpano Sermone donata.*

PROGRAMMA.

Alphonſus De Oroſco De Ordine Erem. 1201.

ANAGRAMMA.

Vir adhuc retinens innocentiam. Iob. 2. 1201.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA.

Humano qualis viuit ſine felle Columba,
Qualis, & irradiat cum ſine nube dies.
Alphonſi tales rutilant ſine crimine mores,
Tale, & ſydereo ſplendet in axe Iubar.
Scire igitur tædet poſt hac quid fecerit vltrà.
Quem vidi ſatis eſt hunc mihi noſſe librum.

ELOGIVM LXXXXVII

ALVARI A' IESV.

LEMMA.

Aluarus gladium dextrà, crucifixum ſiniſtrà ſtringens; Batauorum claſſem aggreditur, illamque ab Ormuzij finibus pellit, nè Venenum ibi Caluini diſſeminet. Ex Elſſio, Cruſenio ad annum 1603.

Iesù Nomen vbique quam potens!
Longo Aluarus Batauorum ſtipatus examine
Vibratur in impios,
Et Ieſum æquè nomine, ac dextrà circumferens
Cruce perfidiam iugulauit, barbariem ferro.
Eremi Cherubim Verſatili gladio

Paradiſum cuſtodit Indorum,
Et vtraque belligerans manù
Cruce terret, quos enſe non atterit.
Ibèrus Ioſue
Bella Domini prȩliatus erumpit in barbaros,
Et hæreſim magnitudine Fidei Vincens,
Exemplo confundens; ferrum non poſuit,
Donec hoſtes omninò deficerent.
De ſuo quidquid fabuletur *Horatio* Roma
Aluarus inſtar exercitus fuit;
Cum omnes in Vno dimicarent, pugnaret Solus.
Nullis, illo præliante, Copijs Opus;
Cum Vnus omnes aſpectù contereret.
Crucem obijcere Viciſſe tunc fuit
Cum idem fuerit Videre, quod Vincere.
Didicere Catholici Vincere, Vinci Acatholici,
Qui quamuis Vinci ſe cernerent.
Adhuc ſe ab Aluaro Vinci non crederent.
Vicit Aluarus, quod nemo credidit,
Et Solum credidit, Victorem cum Vidit.
Militabat in Aluaro Ieſus,
Ideoquè Caluini gregarios
Uincere libuit, Uidere non licuit.
Excæcauit Crux penè Viſa hoſtium mentes,
Dum ignominia quiſque percuſſus,
Non attenderet, quid dolèret,
Sed quid Vidèret.

Hor-

Horruit Vmbram Vitæ aſſecla mortis,
Qui dum plus Crucem, quam ferrum timet,
Exemplo docuit ſuo,
Aluarum nequè ferro, nèc dolo vincendum;
Non ferro, quod fortis; Non dolo, quod pius.

CHRONOLOGIA.

HÆc tantum, Scriptorum vel penurià, vel incurià reperire de Aluaro licuit, ideò nullus Chronologiæ relictus eſt locus.

ASpicis vt ligno, ac ferro fera pręlia ducens
Aluarus in Batauum ſe rotet enſe gregem.
Fulmine nunc maior rapitur generoſus in hoſtem,
Nunc gemitus imò è pectore in aſtra iacit.
Nunc Cruce perfidiam terret; nunc conterit enſe,
Fulminat hinc iuſtus, fulgurat indè pius.
Vtroque Alcides. Nam dum ſic monſtra laceſſunt,
Vtendum gladio, bella gerenda Cruce.

ELOGIVM LXXXXVIII

CORNELIJ DE BYE INDORVM APOSTOLI.

LEMMA.

Cornelius Mexicum nauigat, diuerſis Linguis concionatur, deuiantes à Fide reuocat, centum ſuprà ſexaginta Indorum millia ad Chriſtum conuertit.
Ex Cruſenio, Curtio, Herrerà ad annum 1614.

Cornelium non Ducem Italicæ,
Sed Cobortis Indicæ mirare Viator;
Et vide Chriſto, quæ ex Indijs,
Barbarorum retulerit ſpolia.
Religioſus, & ipſe Centurio.
Quà doctrinà, quà pęnitentià
Bella Domini perfecturus,
Armatur in impios,
Et noua Fidei multiplicans Caſtra,
Draconum quot Capita contriuit in aquis!
Clamauit Vndiquè Septiformi Linguarũ munere
Audita Vox Domini,
Et infideliũ flãmas, vel extinguens, vel intercidens,
Incendit igne antiquo Baſaam abietes,

Ce-

Cedros Libani nouo ſplendore.
Ceciderunt clangente buccinà Euangelij
Fortes Jndorum,
Et rebelli Ierico euerſa,
Nouæ Cornelij Fidè ſurrexère primitiæ gentium.
Superbiat ſuperata Chartagine Scipio,
Tyro Alexander, Hercules Thebis,
Nullus Cornelio iure ſe conferat,
Qui, vel primo ardoris impetù effuſus in barbaros,
Multà ſæpè hominum millia,
Ipſe ſolus, & vna die
Euangelico ſubdidit iugo.
Siſte Lector, & triumphale Epinicium
Cane Cornelio,
Vnum olim Petrus ſubegerit Chriſto Cornelium,
Centum ſupra ſexaginta Indorum millia
Cornelius alter Petro ſubegit.

CHRONOLOGIA.

Cornelius De Bye Magnorum calculò, Indiarum vocatus Apoſtolus, Hagæ Batauorum nobili, & honeſta Familia naſcitur anno 1540. 10. *Nouembris. Granatæ inuitis Parentibus tondetur in Monachum anno* 1559. 20. *Aprilis. Altiori ſpiritù incenſus anno* 1563. *Mexicum petit, vbi annis ſupra* 20. *ſtrenuam Barbaris inſtruendis, & conuertendis operam de-*

dedit. Specus ſæpè immanes, ac horrendos ingreſſus eſt, & abrupta montium adijt, vt miraculi loco ſit, illum ab Incolis, & à feris occiſum non eſſe. Rapida flumina nando traiècit; Sacrum in die bis celebrauit, quotidie verò ter, quaterue diuerſis in locis, & linguis peregrinis eſt concionatus. Sępe vno die, vnus ſolus ipſe homines ſupra 2000. baptiſmate abluit. Sæpe ad eius conciones ſupra 6000. Auditorum ſunt numerata. Pro intima tunicà rude, ac aſperrimum ſagum, fricandis equis idoneum, ad carnem adhibuit. Deinde poſt plura Templa, & Cęnobia ædificata Romam deuenit, vbi Magiſterij ornatus inſignibus Prouinciarum Belgij, *ybernię, Scotiæ, Angliæ, Progeneralis eſt deſtinatus. anno 1600. 26. Auguſt. iuſsù Clementis VIIJ. Nuncius Iubilæi deſcendit in Belgium, vbi reliquo vitæ peracto, non ſine ſanctitatis opinione migrauit anno 1614. 26. Iulij ætatis 74. & Bruxellæ antiqua in æde propè aram maximam eſt tumulatus. Scripſit Sermones Dominicales, & De Sanctis.

PLus linguæ debere tuæ ſe victa fatetur
India, quam Bromio debeat illa ſuo.

ELO-

ELOGIUM LXXXXIX

ALEXIJ MENESIJ HISPANIARVM PRIMATIS, ET INDIARVM GVBERNATORIS.

LEMMA.

Alexius generis, ſcientiæ, probitatis inſignibus clarus Schiſmaticos Malabariæ, & Armeniæ ad fidem conuertit, Regem Mogorij, ac Dynaſtes Chriſto regenerat, Tyrannos, & Hæreticos bello domat, Goè primum, deinde Bracaræ Pontificio initiatur. Ex Curtio, Poſſeuino, Hayo, Cruſenio, Herrerà ad ann. 1617.

S*Alue Alexi*
Eremi decus, mitræ ornamentum, Perſarum Sol.
Salue Heros inclyte
Heſperię Lucifer, lux Malabariæ;
Cum Te Oriens aliquandò diſcuſſerit noctem,
Et veritatis aſpexerit diem.
Salue tandem Fidei Vindex,
Fulmen hæreſum, Spes Populorum;
Cum Duce Te, Petri fides erexerit caput,

Et

Et Inferni contriuerit vectes.
Tu enim gentem amaram, & natam potius
Cum Neſtorio cædi, quam cedere,
Patientià ſic ſuperaſti;
Vt non Serua Victorem horruerit;
Sed libera amauèrit,
Et ceruicem ſubdiderit Petro.
Rarum alibi fędus inierint enſis, & infulæ;
Nouo in Te ordine tantum coierunt honorũ dona,
Et de victorià cuncta contenderant.
Hiſpanię Primas, Indiarum Moderator,
Bracaræ Antiſtes
Illuſtraſti temporum faſtus,
Et faſtù ſuperior
Meritis infulas,principatum viciſti virtutibus.
Expectauerunt Te diù Ducem, & Paſtorem
Termini Gentium,
Et omnes quodam Te viſo,
Exultarunt tripudio Inſulæ.
Vmbram tui timuerunt Reges horrendi;
In pace Te moderante, ſiluerunt armorum tubę;
Regente in bello, ceciderunt Fortium arcus;
Fędera, innuente iunxère Principes;
Schiſmata, annuente ſoluère Pontifices.
At quà proſequeris?
Non ſequeris, fugis triumphantem in Mari longè
Nam vt Alexio nulla coronando ſufficit. Laurea,
Sic

Sic Alexio deſcribendo
Nullum ſatis Elogium eſt.

CHRONOLOGIA.

ALexius vera gentium expectatio, & ſpes populorum Vlyſſipone ex illuſtri Familiâ naſcitur. annorum 15. Puber inuitis Parentibus Monaſticam induit 1574. 24. Febr. ac rara adoleſcens ingenij, & pietatis oſtendit indicia. A' concionibus Philippo II. Regi Catholico fuit, & ab eodem anno 1594. Goæ Archiepiſcopus eſt nominatus. Goam appulſus mirum eſt quantum verbo, prudentia, zelo in animarum ſalute profecerit. Manù ſuâ centena aliquot millia, & inter ea Reges, ac Principes baptiſmate abluit. Sex Epiſcopos Neſtoriana hęreſi infectos, & Dauid Armeniæ Patriarcham ad Sedis Romanæ reuocauit obedientiam. Regna omnia Malabariæ Chriſto regenuit, Regem Mogorium, ác nepotes Chriſtiânis legibus imbuit, & luſtrali aqua purgauit. Synodo Goæ, & Anguemalli iterum edita 109. ſuprà Parachias conuertendis Indis erexit. Templa Clero, Cęnobia ordini, Xenodochia ægrotis, pauperibus, viduis ſuſtentandis ædificauit. Auguſtinenſes in Perſiam, Minores in Coulam, Ieſuitas deſtinauit in Æthiopiam. Prorex indè & Gubernator Indiarum inauguratus bis Munſambiquum, ſemel Malaccam liberauit obſidione. Reginam

Piperis, & Babyloniæ Patriarcham bello contriuit. Validiſſimam arcem Maurorum igne, ac ferro penitus fudit, & Præfectum Goæ multauit. Miſſione Chriſtianà per ſuos indictà triginta ſupra Reges Indiarum ſibi fædere copulauit, & Primogenitum Regis Ormuzij, cum alijs Regni Proceribus Auguſtiniano habitù induit. Europam tandem reuerſus anno 1611. *Dominus, & Antiſtes Bracarenſis eſt ſalutatus, ac Luſitanię Regnum ſummà fide, rarà prudentià biennio integro ſanctiſſimè inſtituit. Obijt Matriti* 1617. *ſui omnibus derelictà ſanctitatis opinione. Bracaram Corpus translatum eſt, & olim Matriti ac Epigraphe eſt honeſtatum.* Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Fratri Alexio de Menezes Auguſtinenſi Archiepiſcopo, ac Domino Bracarenſi, Indiarum olim, poſtea Hiſpaniarum Primati, Orientis Gubernatori, Luſitaniæ Proregi, Catholicæ Maieſtatis Archicapellano, Chriſtianorum Diui Thomæ apud Malabaricos ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam Reductori, viro Religione, ac Fidei zelo illuſtri, grati Clientes in memoriam poſuerunt anno Domini 1628. obijt Matriti 3. Maij 1627. annum agens 58. *Scripſit Hiſtoriam Luſitaniæ Auguſtinianæ. Uitam Thomæ à Ieſu. De Origine Eremitarum Sancti Auguſtini, quam paucis additis, poſteà eius ſuppreſſo nomine Ioannes Marqueſius in lucem edidit. Illum eximiè laudant Antonius*

nius de Gouea, *Emanuel De Lacerda*, *Curtius*, *Fernandes*, *Gratianus*, & Ioannes Hay Ieſuita de rebus Iaponię, aſſerens plus Alexium nouem menſium ſpatio profuiſſe in animarum conuerſione, quam quotquot à S. Thoma ad hęc vſque tempora ſedem illam obtinuerunt.

PROGRAMMA.

Alexius Menezius Erem. 1624.

ANAGRAMMA.

Qui regnauit ab Indià vſque Æthiopiam.
Eſther. 1. 1624.

NVmam videre ſi quis optat alterum,
Et alterum ſi Romulum,
En infulatus hic Menezes nobilis,
Ille ille Indorum Lucifer.
Spirans vigorem mentis, & prudentiam
Priſcamque fortitudinem.
Vides diſertis finxit vt coloribus
Illum diſertus artifex.
Naturam & arti, artemque naturæ obſequi
Vt imperauit inuicem!
Dices in illo ſubſilire ſpiritum,
Et palpitare muſculos.

Congeſſit hùc natura fæcundiſſimas
Dotes ſuperbæ Iberiæ.
Templumq; in vnum ſanctitatem Bracaræ,
Et Heſperorum lumina.
Quod ſi vidère pectoris reconditas,
Et mentis elegantias;
Non eſt imago vera, nec Meneſij
Hæc, quam videmus diceres.

ELOGIUM LXXXXX

CHRISTIANI LVPI PROFESSORIS LOVANIENSIS.

LEMMA.

Lupus eruditionis antiquæ Theſaurus, doctrina, & probitate in paucis eminet, Theologiam Louanij docet, Auguſtini doctrinam tuetur, Calumnias ſuperat, antiqua Synodorum Decreta, & Canones explicat. Ex Ioſepho Sabatino, Philippo Elſſio &c. ad ann. 1681.

LVpus Chriſtianus verius Agnus
Horrorẽ agnomine pręſe tulit, modeſtiam nomine.
Lupum ementitus, vt ouem indueret;

Can-

Candoris vellera, quæ ſemel induit,
Exuit nunquam.
Deo, *Templo*, & Scholæ notus
Pęnè ſibi cognitus vixit.
Diem omnem ſe perdere exiſtimans,
Quam Deo, & litteris non impertiret.
Crimen nugas, palmare ſcelus otium eſt arbitratus.
Vorago ſcientiarum, antequam ſciret,
Omnia à puero Antiquorum Arcana vorauit,
Ipſe breui Poſterorum futurus Arcanum.
Beniamin Lupus
Prædam Manè Nouatorum rapiens Orco,
Diuidens Veſpere,
Proh quot Petro vel nutriuit, vel peperit Greges!
Hypocriſi amabili
Intus Agnus, extrinſecus Lupus
Sæculi Protheos vincere potuit, videre non potuit.
Noua oblitus veterum memor
Vetera edidit, vt noua probaret,
Noua reprobauit, vt ederet vetera.
Duaci, Louanij, Romæ omnium factus Oraculum
Vocem cuius abſtulit Lupus;
Cum ęquè ex tempore reſponderet Oracula,
Et Scriberet.
Prompto in bonis intellectû,
In prauis *tardo*
Virtutem vbique dexteram habuit, ſiniſtrã fortunã.
Eme-

Emeritus in Auguſtini paleſtrà Diſcipulus
Doctrinà plurimis Anteiuit, Modeſtià Omnibus.
Amandus, quod doctrinam Modeſtià vinceret,
Admirandus, quod tantę doctrinę tantã copulare
Modeſtiam poſſet.
Contentus obolo, ieiunijs Venerem fatigauit,
Laboribus otium.
Alapis doctus Æmulorum præbere maxillam
Hoſtium vulnera redèmit amplexibus,
Vindicauit humanitate.
Primum ratus Magiſterium, ſi ſuſtineret;
Principatum, ſi abſtineret;
Premi potuit, inconcuſſus non opprimi potuit.
Honores omnes indignatus nullo non dignus
Singulos reſpuit, ne iuberet,
Admiſit aliquos, vt obediret.
Obijt denique Lupus vt vixit;
Ad Cuſtodiam Ouium ſatis,
Ad Luporum Perniciem nimis,
Ad Deſiderium Romæ Citò,
Ad Inuidiam hęreſis ſerò,
Ad Memoriam operum ſemper.

CHRONOLOGIA.

CHriſtianus Lupus Ipris in Belgio pridie Idus Iunij 1612. *ex honeſta Familia naſcitur, humanis à puero*

puero literis vacat, & æquales longè prçcellit. Anno ætatis ſuę 15. humanarum pertæſus rerum Auguſtinianæ Familiæ adſcribitur. Pernox, & perdius ſeuerioribus muſis incumbit, & admodum Iuuenis Philoſophiam Coloniæ docuit. Louanij Paulopoſt primam Theologiæ Cathedram rexit, deinde Duacenſem, & iterum Louanienſem exedram tenuit. Æmulorum Calumnijs victis anno 1653. 4. Febr. Louanij publico omnium plausù Magiſtrali donatus eſt Laurea. Romam fatigatus inſidijs petit, & paternè ab Alexandro VII. excipitur. Quinquennio in Vrbe tranſacto repetit Belgium, ibiquè nomine Generalis Belgis Auguſtin. Comitijs ſedit. Legatus iterum Romam Regis Catholici iuſsù contendit, ipſoque in primis agente, propoſitiones ſupra 65. condemnantur à Sancta Sede. Belgium per Alpes Tridentinas, & Noricum migrat, vbi abdicato Prouinciæ munere, Athenarum Louanienſium Profeſſor regius, & primarius eſt nominatus; honore quò nullus vnquam Regularium eſt inſignitus. Annis tandem confectus, & meritis occubuit 1681. ſexto nonas Iulij ætatis 69. Nullus eius audita morte aut lætatus eſt, aut lætari viſus, quin ipſe Innocentius XI. vbi obijſſe illum percepit, iacturam in eo grauiſſimam à Sancta Sede factam profeſſus eſt, ſe verò plurimum dolere dixit, quod morte prauentum debito honore ſibi exornare non licuiſſet. Et meritò, Vir enim fuerat vita integerrimus, grauis moribus,

bus, modeſtia rarus, & in quo ſtudium, & eruditio probitatem non ſuperauerant. Mira ſunt, quæ pro Diuinæ gloriæ zelo, præcipuè pro defendenda Louanij Auguſtini doctrina ſuſtinuit. Quindecim continuas horas conſumpſit in ſtudijs; vnde illos in lucem theſauros edidit, quos tamquam eruditionis Eccleſiaſticæ arcana Antiquitas ſemper admirabitur, Poſteritas colet. Nullus penè liber fuit, nullus Auctor, quem ipſe non legerit. Fuit ei magna cum Franſciſco Barberino, Fælice Roſpilioſio, Gregorio Barbadico Cardinalibus neceſſitudo, qui ipſum vt exemplar prioris æui, probitatis, & Sapientiæ vnicè amauerant. Lucas Holſtenius tanti fecit, vt ipſum Hominem prædicaret è Cœlo lapſum, & quem, nullus adhuc in Hiſt. Eccleſiaſtica, aut æquauit, aut ſuperauit. Fęlix Roſpilioſius Card. quadraginta illi quæſtiones peregrinas, ac difficillimas diſſoluendas propoſuit, quibus extemporè Lupus pleniſſimè ſatisfecit. Cardinalis ipſe de Noris ingenuè faſſus eſt Conſilio, & Lupi operà Eccleſiaſticę Hiſt. totum primò ſe ſe deuouiſſe. Illum Chriſtiana Suecorum Olim Regina ſuſpexit, & in ſuæ Academię albo adſcribi mandauit. Illum Magnus Etruriæ Dux omni officiorum genere cumulauit, currù per vrbem, & Rheda vſque Romam, nec non auro regio, quod magnificè ille reiecit, aſſerens, Pauper ſum, Pauper vixi, Pauper mori volo. Innumera penè ſcripſit

ſit docto magis, quam compto ſtylo. hæc inter alia in lucem emiſit.

Programmata Philoſophiæ.

Libellum de Ouo animato, & illius Apologiam. Bruxellis 1640.

De Origine Eremit. S. Auguſtini. Duaci 1651.

Notas, & Scholia in Canones, & Decreta Synodorum Generalium, & Prouincialium. Tom. 5. Louanij, Maguntiæ, & Bruxellis.

Librum Tertulliani De Præſcriptionibus comment. illuſtratum.

Uaria eiuſd. opuſcula comprehenſa duobus Tom. Louanij 1682.

Dogmaticum opus De Priuilegio Sancti Petri circa Rom. appellationes.

Epiſtolas Theodoreti, Thomæ Cantuarienſis, & plura alia. En Epitaphium, quod ſibi compoſuit.

HÆres peccati, naturâ Filius iræ
Hic iaceo, dignus nomine, reque Lupus.
Indignus non re, ſed ſolo nomine Doctor
Verbis non factis me docuiſſe fleo.
Perdocuiſſe alios, & non docuiſſe ſeipſum
Quid iuuat? O' Mundi fumus inane nihil.
Agne Deus, Patris doctrina, Redemptio Mundi
Hunc tibi proſtratum commiſerare reum.

 Et

Digitized by Google

Et Latro, & Meretrix gratis tua regna ſubintrant,
Gratia peccatis ſiat & iſta meis.

Et manu iterum ſuà ſupplico ſepeliri inter Fratres Laicos, quorum meritis Diuina Clementia dignetur me indignum adiungere.

FINIS.

INDEX

INDEX

Nominum, Cognominum, Patriæ, Vitæ, Virtutum &c. Uirorum Illuſtrium Ordinis Eremit. S.P. Auguſtini.

B. ALexandri Oliuæ Sentinatis *Itali* S. R. E. Cardinalis manſuetudo. 208.
Alexij De Meneſes *Luſitani* Archiepiſcopi Bracarenſis magnificentia. 345.
Alexij Stradellę Genuenſis *Itali* Epiſcopi Nepeſini facundia. 325.
S. Alipij Epiſcopi Tagaſtenſis *Afri* conſtantia. 13.
B. Alphonſi De Oroſco *Hiſpani* innocentia. 332.
Aluari à Ieſù *Hiſpani* victoria. 337.
Ambroſij Calepini Bergomenſis *Itali* induſtria. 157.
B. Andreæ à Mon. Regali *Itali* Oratio. 226.
B. Andreę De Quatiebrà *Galli* conſtantia. 302.
Andreę De Vrnadeta *Hiſpani* magnanimitas. 314.
S. Antonini *Apamiæ* Regis Primogeniti *Galli* fides. 29.
B. Antonij Amandulenſis Piceni *Itali* puritas. 200.
B. Antonij De Aquila *Itali* vigilantia. 230.
B. Antonij De Roà *Hiſpani* zelus. 298.
B. Auguſtini Nouelli *Siculi* fuga. 131.
B. Auguſtini Triumphi *Anconitani* Itali victoria. 143.

S. P. Aurelij Auguſtini *Afri* Sapientia. 1.
Aurelij Brandolini Lippi Florentini *Itali* eloquentia. 247.

B. Bonauenturę à Parergà Patauini *Itali* fortitudo. 186.

B. Cherubini Auilianenſis *Itali* integritas. 218.
B. Chriſtinæ Vice Comitis *Italæ* pietas. 206.
Chriſtiani Lupi *Belgæ* Iprenſis Eruditio. 348.
B. Claræ à Mon. Falco *Italæ* Fides. 126.
S. Columbæ, & Sociarum *Luſit.* tolerantia. 88.
Conradi Tregarij *Heluetij* zelus. 273.
Cornelij De Bye *Batauj* Fides. 340.

S. Demetriadis Romanæ *Italæ* liberalitas. 11.
B. Didaci Ortiſij *Hiſpani* Martyris patientia. 311.
Dionyſij Biturgienſis *Itali* eloquentia. 155.
S. Donati *Afri*, & Sociorum peregrinatio. 68.

B. Ægidij Romani *Itali* Sapientia. 138.
Ægidij Uiterbienſis *Itali* facundia. 263.
Eloſindę *Luſitana* pudicitia. 83.

Fabiani Clauarij Genuenſis *Itali* integritas. 317.
B. Franciſci à Zampano Calabri *Itali* Sanctitas. 260.
B. Friderici *Ratiſponenſis* obedientia. 147.
S. Fulgentij *Afri* Sapientia. 65.
S. Furſei *Hiberni* prodigia. 77.

S. Gelaſij Romani Pontificis *Afri* liberalitas. 59.
S. Germani Antiſidor. Epiſcopi *Galli* Victoria. 32.
B. Gregorij Ariminenſis *Itali* Sapientia. 171.

B. Hie-

B. Hieronymi Gerarducij à Recineto *Itali* puritas. 175.
Hieronymi Seripandi Neapolitani *Itali* magnanimitas. 293.
S. Hilarij Arelatenſis Epiſc. *Galli* liberalitas. 25.
S. Honorati Arclatenſis Epiſc. *Galli* Religio. 22.

B.B. Jllicetanorum *Italorum* obedientia. 149.
B. Ioannis Auſtriaci *Sueui* pœnitentia. 135.
S. Ioannis à S. Facundo *Hiſpani* extaſes. 221.
B. Joannis Baptiſtæ Poggij Genuenſis *Itali* tolerantia. 241.
B. Ioannis Boni Mantuani *Itali* patientia. 103.
B. Ioannis Capgrauij *Angli* eruditio. 233.
B. Joannis Ciritæ *Luſitani* pudicitia. 94.
Ioannis de Zacharia *Erfurtienſis* Sapientia. 197.
B. Ioannis Eremitæ *Luſitani* Victoria. 85.
B. Ioannis Euſtachij *Hiſpani* zelus. 281.
Ioannis Hoſmaiſteri *Sueui* facundia. 277.
B. Joannis Guccij Illicetani *Itali* fuga. 152.
B. Ioannis Trauerſij *Hiberni* Religio. 270.
B. Iordani De *Saxonia* vigilantia. 178.
B. Iſaię *Cracouienſis* extaſes. 212.

B. Lanfranci Mediolanenſis *Itali* prouidentia. 112.
B. Ludouici à Montoia *Hiſpani* Charitas. 321.
Ludouici De Marſilijs Florentini *Itali* eloquentia. 182.
S. Lupi Trecenſis Epiſc. *Galli* vigilantia. 42.

S. Malachiæ *Hiberni* Religio. 97.
Mariani Genezanenſis *Itali* eloquentia. 251.
S.S. Martyrum Liberati, Bonifacij &c. *Afrorum* tolerantia. 50.

S. Ma-

S. Maximæ Virg. & Martyris *Afræ*, aliorumque conſtantia. 38.
S. Maximi Martyris *Afri* fortitudo. 54.
S. Maximi *Bizantini* magnanimitas. 80.
S. Melaniæ Romanæ *Italæ* Pœnitentia. 19.
S. Monicæ *Afræ* Religio. 7.

B. Nicolai Bandinelli Senenſis *Itali* Silentium. 106.
S. Nicolai Tolentinatis *Itali* Signa. 119.
Onuphrij Panuinij Veronenſis *Itali* Eruditio. 305.

S. Patritij *Hibernorum* Apoſtoli Gloria. 56.
Pauli Veneti *Itali* zelus. 191.
B. Petri à Roſia Senenſis *Itali* lacrymæ. 159.
B. Petri Eugubini *Itali* cantus. 123.
B. Philippi Dextri Parmenſis *Itali* pietas. 109.
S.S. Porcarij *Lerinenſis*, & 500. Sociorum *Gallorum* Martyrum fortitudo. 34.
S. Poſſidij Calamenſis Epiſcopi *Afri* clementia. 17.

S. Radegundis Reginæ Francorum *Borgundæ* humilitas. 71.
B. Ritæ De Caſſia *Italæ* patientia. 203.
S. Romani Abbatis Iurenſis *Galli* ſolitudo. 40.

B. Sancti à Corà *Itali* fides. 189.
S. Seuerini Abbatis Agaunenſis *Galli* beneficentia. 62.
S. Seuerini Apoſtoli *Noricorum* humanitas. 45.
B. Simonis à Camerino *Itali* eloquentia. 215.
B. Simonis à Caſſia *Itali* prophetia. 161.
S. Stephani Aruernę Comitis *Galli* pœnitentia. 91.

Thomæ

Thomæ ab Argentinà *Germani* Sapientia. 168.
Thomæ à Jesù *Luſitani* tolerantia. 328.
S. Thomæ à Villa noua *Hiſpani* Charitas. 285.

S. Venerij Abbatis Genuenſis *Itali* pietas. 74.
B. Veronicæ à Binaſcho *Italæ* extaſes. 237.
S. VVilelmi Aquitaniæ Ducis *Galli* pœnitentia. 100.
B. VVilelmi Cremonenſis *Itali* zelus. 164.
S.S. Virginum, & Martyrum *Africæ* magnanimitas. 47.
B. Viti Hungari fides. 116.

LAVS DEO.

INDEX

Digitized by Google

INDEX EORVM, QVÆ IRREPSERVNT, ET CORRIGENDA.

Reducta 76.	Redacta
De Uiuentibus 87.	De Vincentibus.
quò 122.	qui.
Homiuis 126.	Hominis.
aluit 129.	alluit.
Sanctitute 133.	Sanctitate.
nauaque 156.	nouàque.
rariſſimo 158.	rariſſimus.
omnes 201.	omne.
laudibut 241.	laudibus.
paruum 245.	parum.
diuintus 246.	diuinitus.
ſuſpixerint 246.	ſuſpexerint.
deſideratur 246.	deſiderantur.
Aurelus 249.	Aurelius.
eloquientiæ 255.	eloquentiæ.
ſanguinem 262.	ſanguine.
impreſta 293.	impreſſa.

Cætera agnoſcet, & ignoſcet Lectoris humanitas.

AVCTORIS PROTESTATIO.

Scripſimus, quæ ab alijs ſcripta, non quæ Romæ probata ſunt; atque adeo fidem aliam non exigimus, niſi quam merent. Ex Decretis Vrbani VIII. 1625. 13. Martij, & 1631. 5. Iunij.

Digitized by Google